ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCLXXXIII

publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c.&c.&c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLETITSCHIUM.

Typis CHRISTOPHORI GüNTHERI.

Anno MDCLXXXIII.

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI,

DN. JOHANNIS GEORGII III

Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, S. R. Imperii Archi-Marschalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Superioris item ac inferioris Lusatiæ, Burggravii Magdeburgici, Comitis Principalis Hennebergici, Comitis Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynastæ in Ravenstein &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Pignoribus Sacratissimis

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Superioris item ac inferioris Lusatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergi, & Barbiæ, Dynastis in Ravenstein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

Annus jam, PRINCIPES SERENISSIMI, lapsus est, ex quo primitias Actorum Eruditi Orbis, quæ notitiæ propagandæ causa colligimus, CELSISSIMIS NOMINIBUS VESTRIS studio subjectissimo inscripsimus; incredibilem cumprimis illam Vestram, & illustri Juventæ omni in exemplum, quod studiosissime æmuletur, positam in bonas litteras propensionem, uti par erat, venerati. Neque nunc, ubi alterum Actorum annum (primum enim triennium CELSITUDINIBUS VESTRIS consecravimus integrum) pari animi submissione oblatum imus, argumentum qualiscunque alloquii petendum longe est: omnium oculis animisque adhuc obversante illustris victoriæ imagine, quam POTENTISSIMI VESTRI PATRIÆQUE PATRIS auspiciis, sub urbis Viennæ mœnibus, Septembri hujus anni mense de Turcis partam, Vobis quoque, dulcissimis tanti HEROIS Filiis, non possumus non gratulari. Et sane nunquam majore vi Christiano orbi immanissimus hostis incubuit, formidando toti Europæ exercitu, cui instruendo tot annos, ac universas vastissimi Imperii vires impenderat, in Austriam effuso, ejusdemque metropoli, a qua Germaniæ totius fortunæ suspensæ videbantur, acerrime oppugnata. Nunquam majori discrimini Christiana cum religione bonæ etiam litteræ fuerunt objectæ; isto jam imminente hoste, cujus

cujus in artes ac ſcientias non minus, quam in oppida & pagos graſſatur furor, nec ullum humanitatis cultum, quacunque fines imperii porrigit, ſupereſſe patitur, quique torrentis haud dubie inſtar Germaniam omnem inundaſſet, ac cædes, vaſtitatem, barbariem quaquaverſum circumtuliſſet, ſi clauſtro illo ac propugnaculo, Vienna, potiri ex voto ſuo potuiſſet. Quominus mirabitur quisquam, ſi, dum Germania univerſa ob liberatam Viennam, & diſcusſum quod cervicibus noſtris imminebat periculum, adhuc exultat, & cum Heroum aliorum, tum VESTRI *inprimis* GENITORIS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, *intrepidos auſus & fortia ac glorioſa facta pleno ore celebrat, nos quoque concepti ſemel ex tam illuſtri, ac ad omnem poſteritatem memoranda victoria, Muſisque noſtris non minus quam rei publicæ fructuoſa, gaudii ſenſum exuere nondum poſſumus aut abjicere. Equidem bene ſtatim ſperabamus, & ex prima trepidatione recipiebamus animos, cum fama nunciaret,* POTENTISSIMUM PARENTEM VESTRUM *adverſus barbarum hoſtem expedire arma, ſuisque auſpiciis decreviſſe rem gerere; nec ab hoc propoſito ullis eorum precibus, qui Serenisſimum caput tanto objici periculo minus tutum arbitrabantur, dimoveri poſſe. Illum enim Divini animi Heroicum impetum, nonniſi Divinitus accenſum eſſe ac excitatum, certo perſuaſi*

eramus

eramus, jamque victoriam animo præcipiebamus, antequam Danubium SAXO, Principesque alii pro Christo bellaturi, cum copiis suis contigissent. Tantum vero abest, ut spes ea nos fefellerit, ut felicissimus expeditionis eventus superaverit prope vota nostra; validissimo Turcarum exercitu tam brevi tempore fuso, castris opulentissimis exuto, ac in turpissimam conjecto fugam. Cujus victoriæ ut fructus ad omnes Christianum nomen professos pertinet, ita gloria ejusdem maximam partem VESTRO, SERENISSIMI FRATRES, PARENTI merito vindicatur, qui Divini Numinis auxilio fretus, hostem & primus aggredi, & ea parte voluit, ubi acerrima dimicatio futura præsumebatur, spretoque omni, utut insuperabile non paucis videretur, discrimine, primus propugnaculis hostem mascula virtute dejecit, primus etiam vexillo in castris Turcarum erecto signum dedit victoriæ, non oculis profecto designatæ e longinquo, sed armis fortique & ab ipso Deo armata manu comparatæ. Eam ergo gloriam & Saxonici Nominis novum decus, quidni & & Vobis, DOMINI CLEMENTISSIMI, impense gratulemur? Quibus PARENTEM OPTIMUM ex difficillima expeditione salvum ac incolumem rediisse, saluti, victorem vero rediisse honori utique tanto majori fuit, quanto illustrius Heroicæ fortitudinis exemplum, quod ævum omne imitetur,

na-

natum inde DOMVI VESTRÆ SERENISSIMÆ *fuit. Faxit modo Æterni Numinis benignitas, ut illa* VOBIS, *ut illa nobis felicitas perpetua sit,* DEXTRAQVE ILLA IMPERII MANUS, *quod cognomen non minori jure* JOHANNI GEORGIO III *Genitori vestro, quam ex Celsissimis Majoribus olim* ALBERTO, *debetur, vigeat perpetuo, possitque, & Imperii decus, & puræ ac orthodoxæ religionis cultum, infracta & inconcussa constantia asserere: Vos vero,* SERENISSIMI PRINCIPES, *virtutum omnium ac doctrinæ ornamentis egregie instructos, idem benignissimum Numen, in* POTENTISSIMI PARENTIS, *ubi is non nisi post seros (quod toto pectore vovemus) annos vitæ gloriæque satur ad superos emigraverit, Heroicum in Republica & Ecclesia propugnanda vigorem aliquando succedere jubeat. Ita valete, & conatibus nostris Paterna munificentiæ haud parum excitatis, clementissime favere nunquam desinite. Dab. Lipsiæ Calendis Decembr. A. MDCLXXXIII.*

VESTRARVM SERENITATVM

subjectissimi

Actorum Collectores.

N. I.

ACTA ERUDITORUM

Publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno MDC LXXXIII.

S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS Episcopi Operum Tomus Quartus, continens enarrationes in Psalmos, post Lovaniensium Theologorum recensionem castigatus denuo ad manuscriptos Codices Gallicanos, Vaticanos, Belgicos &c. nec non ad editiones antiquiores & castigatiores, opera & studio Monachorum Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Parisiis, 1681. in fol.

D. AUGUSTINI monumenta tanto jam olim in pretio fuerunt, ut eorum causa, cum in Hispania exemplaria deessent, circa A. C. 650 Tajo Cæsaraugustanus Episcopus Romam mitteretur. Nec mirum, ante nobile artis typographicæ inventum, Monachorum calamos describendis Augustini operibus, quibus ambones & pulpita in templis & scholis assidue personabant, sufficere non potuisse, cum post varias & toties in Germania, Belgio, Italia & Gallia iteratas editiones ne per typorum quidem compendia exprimi potuerint satis. Nam ut libros de Civitate DEI, Confessionum libros, aliaque Augustini scripta statim a prima artis typographicæ origine seorsim excusa prætereamus; fuerunt, qui nec laborum nec pecuniarum impensis, quas tot voluminum immensa moles exigebat, deterriti universa Augustini opera, quæ colligi potuerunt, prelo subjici curarent. Primus id fecit *Johannes Amorbachius*, Basileensis. Is enim omnia Augustini opera ex Italia, Gallia & Germania, cujus bibliothecas per Augustinum Dodonem Phrysium sufficienti pecunia instructum perscrutatus fuerat, ad se comportata edidit, & undecim partibus distinxit; e quibus octo priores eos Augustini libros, quos ipse

in ſuis Retractationibus recenſet, continent, reliquæ cæteros, quorum nulla mentio in Retractationibus injicitur, complectuntur. Plurimos vero Sermones plurimasque Epiſtolas & enarrationes in Pſalmos, quas jam antea circa A.C. 1489, 1494 & 1495 excudi curaverat, undecim his partibus adjicere noluit, quæ A. C. 1506 *Baſileæ* lucem aſpexerunt. In eadem urbe poſtea A. C. 1528 & 1529 obſtetricante *Eraſmo Roterodamo* ex officina *Frobeniana* Auguſtinus denuo prodiit in decem tomos diſtributus, & ſolidis nullaque columnarum intercapedine diſtinctis paginis a ſequentibus editionibus diverſus, quæ in eadem Rauracorum Auguſta A. C. 1541, 1542, & 1543, & iterum 1556, iterumque 1569 *Martini Lipſii*, *Johannis Coſterii*, & *Johannis Ulimmerii* ſtudio Auguſtinum exhibuerunt. Hos Baſileæ labores in exornandis Auguſtini operibus *Venetiæ* imitatæ ſunt. Hic enim Auguſtini opera decem tomis in quarto comprehenſa *Valgriſius* excudit A. C. 1571, quam editionem ibidem A. C. 1584 alia excepit, cum jam A. C. 1577 *Antverpia* ex *Plantiniana* officina Auguſtinum *Thomæ Gozæi*, *Johannis Molani*, & aliorum *Lovanienſium Theologorum* curis recognitum dediſſet, quem paulo auctiorem *Colonia Agrippina* A. C. 1616 præſentavit. Sed nullibi magis qvam apud Gallos calcographorum operæ in Auguſtini monumentis exprimendis deſudarunt. Nam ut de *Lugdunenſibus* editionibus ſuperiore ſeculo A. C. 1571. & hoc ſeculo 1664, cum indice undecimum tomum implente, adornatis nihil jam commemoremus, ſola *Pariſiorum Lutetia* vel decies Auguſtinum civitate donavit: nempe primum A.C. 1515, deinde A. C. 1531 ex officina *Claudii Chevallonii* cum Jacobi Hemeri Stutgardienſis ad Gallum Millerum Eccleſiæ Tubingenſis Theologum epiſtola nuncupatoria, quæ totam editionis hujus rationem fuſius exponit; porro A. C. 1541, & iterum A. C. 1571 apud *Morellium* & *Nivellium*, tum A. C. 1586, 1609, 1614, 1626, 1635, & 1652. Eſt autem inter has Auguſtini editiones, quas hactenus recenſuimus, hoc diſcriminis, quod recentiores locupletiores quidem, ſed antiquiores ſinceriores & emendatiores habeantur. Quamobrem *Hieronymus Vignier*, qui Baſileenſem Eraſmi editionem omnium præſtantiſſimam eſſe judicat, in gratiam eorum qui antiquiores & caſtigatiores Auguſtini editiones poſſident, ne aut plurimis Auguſtini ſermonibus, epiſtolis aliisque tractatibus carere, aut recentiora exemplaria, multis quidem Auguſtini ſcriptis, ſed plurimis quoque mendis auctiora comparare ſibi

re sibi cogantur, omnium S. Augustini operum, ante A. C. 1614 Basileæ, Lutetiæ, Antverpiæ, Lugduni, & Venetiis editorum, supplementum una cum aliis quibusdam antea ineditis Augustini monumentis Parisiis anno 1654 publici juris fecit.

Cum vero in hoc literarum genere nihil sit tam consummatum, quod non successu temporis magis magisque exornari & expoliri possit: *Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri* multorum MSC. Codicum undique diligenter conquisitorum fiducia freti, sub auspiciis Christianissimi Galliarum Regis Augustini opera denuo novo cultu novisque typis adornanda Parisiis susceperunt. Et primus quidem cum secundo tomus A. C. 1679 in lucem prodiit; quos A. C. 1680 tertius excepit. Quartus anno superiore 1681 in lucem publicam emissus *Expositionem in Psalmos* continet, quibus Augustinus jam olim in secessu apud Cassisiacum, ubi se ad baptismum comparabat, in tantum delectatus fuerat, ut ardentissimo eos per totum terrarum orbem, si fieri posset, recitandi desiderio flagraret, & Manicheis incomparabilem hunc thesaurum & salutis suæ remedium negligentibus graviter indignaretur. Atque hæc magnifica de Psalmis opinio conscientiæ divinæ motibus impressa Sanctum Præsulem facile impulit, ut, cum pro officii sui ratione doctrinæ cœlestis mysteria plebi sibi commissæ propinaret, eamque admonitionibus suis ad pietatem informaret, inprimis etiam Psalterii enarrandi curam in se susciperet. Nec tamen, cum primum opus hoc aggressus est, ordinis rationem magnopere habendam sibi duxit, sed prout loca, tempora, casus & personæ suggerebant, Hippone-Regio, Carthagine, Uticæ atque alibi Psalmos Davidicos interpretatus est, donec expositione Psalmi CXIIX, qui in Hebræis fontibus CXIX est, cum cæteris omnibus enarratis solus adhuc superesset, amicis instanter id efflagitantibus, coronidem huic operi imponeret, eumque triginta & duobus Sermonibus illustraret, ex quorum procemio discimus, S. Augustinum Psalmos modo publice sermocinando, modo dictando exposuisse. Quamvis vero Ferrandus in *Vita Fulgentii* hunc Augustini ad Psalmos Commentarium in quindecim decadas distributum referat, quod confirmant versus ad epitomen Commentariorum Augustini in Psalmos, in vetere quodam Colbertino Codice contentam, quorum hoc est initium:

Cantica Davidico Christum modulantia plectro
Explanata tenet floridus iste liber:
Maxima succinctis reserans mysteria verbis,
Et profluos sensus sub brevitate loquens.
Hunc Augustinus toto Venerabilis orbe
Egregius Præsul, Doctor Apostolicus,
In populis largo diffundens flumine linguæ
Ter qvinis decadis grande peregit opus &c.

Augustini tamen tempore vel jussu hanc operis partitionem, cujus nec Possidius meminit, nec in plerisque Codicibus ullum vestigium apparet, factam esse credibile non videtur. Unde doctissimi Editores in præfatione quarto huic Augustini Tomo præmissa suspicantur, idem forte Augustino accidisse, quod Livio, quem, ut Petrarcha in *epistola ad Boccatium* observat, *in partes quas decadas vocant*, *non ipse qui scripsit*, *sed legentium ignavia scidit.* Cæterum quam rationem in Psalmis exponendis Augustinus secutus fuerit, quas leges sibi statuerit, & cui Versioni institerit, eadem Præfatio prolixius exponit, cui præter Indicem locorum in Latinis Psalteriis variantium, Cassiodori, Petrarchæ, & aliorum de hoc Augustini in Psalmos Commentario, cujus Manuscriptos aliquot Codices nostra etiam Academia in Bibliotheca Paulini Collegii asservat, elogia annectuntur. Ipsum vero opus, cujus prior pars enarrationes Psalmorum LXXIX, posterior reliquorum expositiones continet, variis lectionibus, aliisque notulis minutiore characterum forma ad singulas paginas subjectis illustratur. Postremo ne quid desit, Indices accedunt; unus codicum ad quorum fidem hoc Augustini opus recognitum & emendatum est; alius locorum Sacræ Scripturæ in his Augustini ad Psalmos commentariis explicatorum; alius rerum; & alius denique variarum lectionum ex omissis selectarum.

ACTA SANCTORUM MAII
collecta, digesta, illustrata a GODEFRIDO HENSCHENIO *&* DANIELE PAPEBROCHIO *e Societate Jesu.*
Tomis tribus.

Antverpiæ, 1680. in fol.

GEsta eorum, qui vitæ sanctimonia fuerunt conspicui celebrare & in plurium ferre notitiam utile cumprimis censendum: ac tueri

tueri ipsorum gloriam, conservare memorias, deprædicare virtutes sanctitatem vitæ & admirari secum & imitandam commendare aliis, plenum pietatis officium est. Quocirca probandum eorum studium, qui Sanctorum Dei memorias hoc cultu venerati sunt, ut eas *literis* vel ipsi consignarent, vel *iisdem* commendatas ab aliis *colligerent* & conservarent. *Quod si* maxime omnia, quæ prædicantur de iis, vero consentanea non sint, raptus tamen istis narrationibus in admirationem animus, arcanis quibusdam stimulis agitur atque inflammatur, exemplis ob oculos positis, quæ doceant regere animum, frænare cupiditates improbas, opes, honores, voluptates contemnere, capere de injuriis gloriam, ex calamitate solatium, ex cruciatibus voluptatem, ex ipsa denique morte vitam. In his inculcandis haud levem operam *Sancti* olim posuerunt Patres, passimque occurrunt apud S. Hieronymum, Cyrillum, Bedam, Gregorium, Athanasium, Theodoretum, Basilium, Hilarium, & alios multa insignia fidei, pietatis & constantiæ exempla: qvibus sequentium Scriptorum simplicitas plura attexuit, a Romana Ecclesia solicite conquisita & asservata. Constat quid e Veteribus hac in parte præstiterint Eusebius Cæsareensis, & *Simeon* Metaphrastes qui & Logotheta dictus est, ut & Palladius, *inter* Græcos: quos secuti Latini accuratius huic studio *incubuerunt*; alii succincte Sanctorum gesta complexi, alii ornare ea stilo aggressi, alii undecunque collecta in unum congerentes. Nota sunt *Menologia* & *Martyrologia* Veterum, quibus doctissimi Viri Eusebius, Hieronymus Beda, Ado, Notkerus, Elorus, Usuardus, Maurus, quique hoc secuti sunt Rosvveydus, Baronius, Wilsonius, Saussaius, Galesinius, & alii exquisitam impenderunt operam. *Vitarum* quoque *Patrum* huc pertinet collectio a diversis diverso adornata studio. Cumprimis vero *Acta Sanctorum* eo referenda sunt, quæ ad superstitionem usque solicita conservavit Antiquitas: nec Martyrum solum, sed aliorum etiam, qui vitam insigni sanctitatis opinione terminassent, præcipue si prodigiis essent post mortem celebrati, res sive gestas sive confictas conscripsit atque collegit. Sane vix monasterium licet reperire, quod non istiusmodi componendis Actis operam dederit; e quibus multa depromsit, quæ Historiali Speculo insereret Vincentius, a diutina apud Bellovacos commoratione Bellovacensis dictus, quibus suam quoque Legendam auream instruxit Jacobus de Voragine Genuensium

um Episcopus, & Catalogum Sanctorum adornavit Petrus de Natalibus. Nam Bernhardi Guidonis Episcopi Lodevensis, Joannis Gilemanni & Antonii Gentii monumenta, in quibus summo labore plurimas collegisse perhibentur Sanctorum Vitas, quod in Bibliothecis manuscripta latent, nec adhuc prodiere in publicum, recensere nil attinet. Multa enim e claustrorum secretis ad Historiam Sanctorum pertinentia in Antiquis suis Lectionibus evulgavit Henricus Canisius, & doctorum virorum benignitate & promptitudine adjutus prodidit superiobus annis in *Spicilegio Veterum Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis maxime Benedictinorum supersunt*, doctissimus e Congregatione S. Mauri Monachus Domnus Lucas Acherius: qui cum ab anno 1655 duodecim Tomos miscellaneæ antiquitatis Ecclesiasticæ, Synodorum, Monasteriorum, Abbatiarum, Vitarum historias, Martyrologia & complures Epistolas complexæ edidisset, anno 1667 decimum tertium evulgans, simulque Indices accuratos omnium antea editorum Voluminum exhibens, metas hujus studii se fixurum nec ulterius progressurum indicavit. Diversorum quoque Sanctorum gesta, prout ea se obtulerunt, vel in Bibliothecis reperta, vel ab amicis suppeditata, peculiaribus libris emiserunt erutaque e tenebris dilucidarunt Joannes Molanus, Joannes Maldonatus, Henricus Sedulius, Andreas Saussaius, Philippus Ferrarius, Andreas du Chesne, Christophorus Brovverus, Matthæus Raderus, Nicolaus Serarius, Carolus Stengelius, Antonius Bosius, Petrus Nannius, Joh. Bapt. Manzinus, Thomas Boucherius, Paulus Bombinus, Nicolaus Trigautius, Ful. Cardulus, Phil. Gothus, Alphonsus Ciacconius, Joannes a Bosco, Bonaventura Moronus, Jo. Ant. Guarnerius, Marius Mutius, Aubertus Miræus, Antonius Sanderus, Chrysostomus Henriquez, Joannes Vastovius, Joannnes Colganus, Marcus Velserus, David Hœschelius, Lucas Holstenius aliique complures: ii potissimum, qui Religiosorum Ordinum annales conscripserunt, quique singulorum cœnobiorum, urbium, regionum & provinciarum Antiquitates, sacras præsertim, eruerunt ac illustrarunt; nam hi ferè omnes vel ipsi Vitas eorum, qui sanctitatis laude in qualibet provincia floruerunt, memorant, vel enarratas ab aliis nec dum editas exhibent.

Majori autem molimine opus hic aggressi sunt justis voluminibus Acta Sanctorum complexi, Boninus Mombritius Mediolanensis,

Jacobus

Jacobus Faber Stapulensis, Georgius Wicelius, Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, & qui hos omnes colligendi industria supergressus est Laurentius Surius Carthusianus. Ex quo sua deinceps hauserunt Franciscus Haraeus, Zacharias Lipelous, Petr. Ribadeneira, Cornelius Grasius, & multi alii, *qui Sanctorum* vitas diversis rationibus & variis idiomatis edidere. *Omnes* tamen id potissimum egerunt, ut superstitiosum & *idololatricum* Sanctorum cultum simplicioribus ista tanta eorum turba *obtruderent*, in Divorum autem numerum post mortem referri *eos qui* vitam severis legibus exegissent & praeclare *factis* studuissent, *propositis* tot exemplis docerent. Caeterum eruditio adspersa fuit *nulla*, nec in tam vastis Operibus reperta salis mica, anilibus fabulis, quibus refertae omnes paginae, nullam melioris literaturae partem admittentibus. Primus eam huic studio inferre cogitavit hoc seculo HERIBERTUS ROSWEYDUS, animo constituens omnia Sanctorum Acta quaecunque scripta essent unquam, undequaque conquirere, edita atque inedita, collectaque emittere in lucem Annotationibus illustrata, quibus & obscura illustriora, & ambigua firmiora & pugnantia certiora redderentur, multa praeterea ad sacram & profanam eruditionem utilia in istis exhiberentur. Universi hujus sui instituti rationem ipsemet exposuit, editis anno 1607 Antverpiae *Fastis Sanctorum, quorum Vitae in Belgicis Bibliothecis manuscriptae extant:* quibus veluti specimen totius Operis annexuit *Acta Praesidalia Sanctorum Tharaci, Probi, & Andronici*, olim mutile edita a Baronio. Ad quam rationem composita omnia Sanctorum omnium Acta *sedecim Tomis* edere, hisque *duos* Illustrationum in eosdem Tomos adjicere se velle pollicitus est. Sed Praeclaro huic instituto, cui exequendo Bellarminus ducentos vitae vix sufficere annos, nec minori spatio temporis rem tantam perfici pro dignitate posse censuerat, Rosvveydus jam sexagenarius perficiendo se parem credidit; anno tamen 1629 morte subtractus antequam primum Tomum emitteret in publicum, consummandum hoc arduum Opus alteri reliquit.

Quod aggressus JOANNES BOLLANDUS, eruditione summa & eloquentia insigni instructus, ita partes has implevit, ut non ii saltem, qui Sanctorum cultui superstitiose dediti sunt, fabulasque pro historiis accipientes nubem pro Junone amplectuntur; sed & alii, qui Historiae Ecclesiasticae student, temporum rationes intelligere, antiquita-

quitates Ecclesiæ priscæ cognoscere, alia item ad eruditionem spectantia ex his monumentis haurire possint. *Ordinem* eum servavit quem Fasti Romani tenent, religiose observans, ut quo quisque e vita hac discessisset die, in istum reponeretur. *Acta* ipsa quo primum scripta olim fuere stilo exhibuit, certis capitibus, si prolixiora ea sint, ut respirare qvasi Lector possit, distincta. Qvibusvis *Præfationes* præmisit seu prolegomena, quæ locum, in quo præcipue Sancti quique coluntur, quove orti, aut ætatem degere, vel quem reliquiis suis celebravere, indicant; tempus quo vixere ex certis characteribus eruunt; Vita quælibet, a quo scripta, quo tempore quibus probata, citata, e qua lingua conversa, annotant; cujus humanitate vel ipsi communicati sint codices, vel ex istis descripta & commodata Vita, docent. Ipsis actis subjecit *Annotationes*, quibus vel variæ lectiones, quæ alicujus esse momenti visæ sint, in diversis MSS. animadversæ indicantur, vel si quæ occurrunt obscura explicantur, temporum ratio a vulgata dissentiens chronologia exponitur, alia item utilia & erudita in medium afferuntur. Omnium porro qvæ copiosius traduntur, in marginibus epitomen sive *Summaria* apposuit, ut cui integra Acta evolvere non vacat, habeat eorum velut breviarium, cujus beneficio vastum Volumen exiguo tempore possit perlegere. Cumque nonnulla auctorem, cum ipsos Tomos ederet, etiam sedulo indagantem fugerent, quæ deinde absolutis istis amicorum beneficio assecutus est, ea in *Appendices* conjecit singulis Tomis subjectas, in quibus etiam nonnulla emendavit, quorum non perfecta imbutus fuerat cognitione, cum ipsi excuterentur Tomi. Et ut omnibus numeris absolutum prodiret hoc Opus, instructissimos singulis Tomis addidit *Indices* sex, quorum priores duos cuilibet Volumini præmisit, quatuor posterioribus eidem subjectis. Primus *hagiologicus* ordine literarum alphabetico nomina exhibet Sanctorum, quorum Acta quilibet Tomus continet, diem istis sacrum annotans & synopsin Actorum tradens; secundus *chronologicus* juxta seculorum ordinem Sanctos sistit, de quibus in volumine quovis agitur, annumque quo isti nati, mortui, ad dignitates evecti, vel translati sint, ex certis chronologicis notis aut probabili conjectura indicat: tertius *historicus* quorumvis qui in quolibet Tomo memorantur nomina propria cum brevibus lemmatibus annotat: quartus *typographicus* nomina regionum urbium-

urbiumque continet Sanctorum ortu, obitu, vel reliquiis nobilitatarum: quintus *grammaticus* verba obsoleta, peregrina, aut cæteroquin obscura, quæ in quolibet volumine occurrunt, recenset: sextus denique *moralis* rerum plane omnium quarum notitia ad virtutum vitiorumque tractationem accommodari possit, instar Locorum communium, ubertimam segetem proponit & commonstrat.

Labor autem is cum major Bollando videretur, qvam qui ab ipso uno posset perfici, adjutorem sibi anno 1635 adscivit GODEFRIDUM HENSCHENIUM egregie Latinis Græcisque literis ac Theologicis disciplinis eruditum: cujus opera adjutus JANUARII mensis Acta eum in habitum, quem hactenus diximus, composita anno 1643 binis Tomis edidit, mille centum & septuaginta Sanctorum, & aliorum plurimorum memorias & res gestas illustrantibus. His *generalem*, ut vocat, præmisit *Præfationem* ad Thomam Luytens Abbatem Lætiensem, in qua recenset, quibus auctoribus, & quorum excitatus exemplo ad hoc elucubrandum opus accesserit, quid in eo spectarit, quem tenuerit ordinem, a quibus adjutus fuerit, & e quibus fontibus pleraque hauserit.

Quindecim post annis FEBRUARII Sanctorum Acta, laboris hujus socii Bollandus & Henschenius tribus Tomis dederunt anno 1658, mille trecentos & decem quibus Sanctos sistunt, eadem servata ratione, quæ in Januarii Actis apparet. Cumque ambo in isto opere desudarint, & communi quidem consilio omnia ordinarint ac mutua scripta recognoverint, singuli tamen seorsim singulas Vitas discusserint, prolegomenis, annotationibus, & summariis marginalibus, indicibusque ornarint ac dilucidarint; curandum duxere, ut cujus potissimum labore quodvis esset elucubratum, aut e Græco versum, excerptum aut annotatum, primis nominum literis in exteriori margine, ad initium Vitæ cujusque aut Tractatus de Sancto appositis annotaretur, quo Lectori constet, cujus quodvis acceptum sit ferendum industriæ. Commendari in hoc mense cumprimis meretur insignis Henschenii de Dagoberti II ætate Digressio, qua ad I. Febr. diem Actis Sigeberti præfatus est, cujus etiam argumentum late in Diatriba *de Tribus Dagobertis* anno 1655 seorsim excusa pertractaverat. Dagoberto enim secundo antea nemini cognito ex vetustis Sanctorum Actis regnum septendecim annorum asseruit, quod posteritatis oblivione per annos

mille occultatum latuerat; unde patet, quantam historiæ etiam politicæ lucem Acta hæc inferant.

Dum vero continuando huic studio intendunt, inque ordinandis Martii Actis ambo desudant, & primus eorum Tomus prælo jam esset subjectus, Bollandum septuagenario proximum anno 1665 superveniens mors abstulit. Quo extincto ad istius exemplum de idoneo συνέργῳ Henschenius sibi prospiciens DANIELEM PAPEBROCHIUM, industria & eruditione insignem virum, adscivit: quo adjutore anno 1668 Acta Sanctorum MARTII tribus inclusa Tomis prodierunt. Sub eorum *principium* prolixa & luculenta Narratio de vita, operibus, virtutibusque Joannis Bollandi, (cujus etiam imaginem æri incisam primus Tomus præfert) de inchoatæ ab eo Sanctorum hujus collectionis exordio, progressu, ac universa ratione, de amicorum Principumque officiis ad eam provehendam collatis, de piorum atque eruditorum virorum circa ipsum judiciis, deque ejus extremis, legitur. *Secundo* Tomo Martyrologium Bedæ, & Flori ad istud Supplementum, ex Mssis edita; *Tertio* Observationes ad S. Theophanis Chronographiam, & Genealogicum stemma Regum Francorum per tres Dagobertos (in primo Februarii Tomo assertos) deductum, præmiserunt: singulis autem tomis Græca Synaxarii, ex Menologio jussu Basilii Imp. collecto, subjunxerunt.

APRILIS Acta anno 1675 prodierunt tribus arctata tomis: quorum *primus* duos antiquissimos Catalogos Romanorum Pontificum, cum variis ad illos observationibus, præfert; *secundus* præfixum habet Propylæum antiquarium, circa veri ac falsi discrimen in vetustis monumentis ac chartis, præsertim diplomatis, observandum: non tantum ut cognitæ reddantur formulæ notariales pro seculorum atque locorum varietate diversæ, sed ipsi quoque literarum in Diplomatis ductus cognoscantur. Cum enim in istis ad historicam fidem conciliandam recipiendis, non minori sit versandum cautela quam in nummis, quorum multi sub larva antiquitatis inducunt in fraudem, vix ab oculatioribus agnoscendam: rationem earum cognoscendarum discernendarumque tradendam censuit Daniel Papebrochius, ante quem nemo in hunc usque diem peculiari tractatione istam rem aggressus fuerat, quam postea discutiendam sibi sumsit Joannes Mabillonus in augusto *de Re Diplomatica* Opere; Archivi Sandionysiani diplomata quædam, quæ

quæ falsa censuerat Papebrochius, vera esse asserens. Ut adeo doctissimorum horum virorum acceptum sit ferendum industriæ, quod novum hoc antiquariæ artis genus intelligamus, in qua de veterum instrumentorum ratione, formulis & auctoritate agitur: unde non solum ecclesiastica & civilis historia, sed maxime privatorum hominum Ecclesiarumque fortunæ plurimum pendent. *Tertius* tomus in fronte præliminarem gerit Exegesin, qua ea quæ hactenus de Dagobertis tribus Francorum Regibus, nullo prævio auctore adjutus, primus Henschenius in *Diatriba* antehac edita, & in Februarii Actorum tomo primo illustrata, constituerat asserueratque, stabiliuntur & confirmantur, nonnulla autem ob nova quædam interea reperta documenta innovantur, annusque determinatur, quo Dagobertus II obiit; ex cujus (non vero Dagoberti III) posteris assumtos ultimos stirpis Merovingicæ Reges, clarius comprobatur. *Singulis* iterum tomis Acta Græca ad quemvis eorum pertinentia subjecta sunt. Sancti autem quorum annua memoria in hunc mensem cadit, propriis designati nominibus sunt mille quadringenti viginti, certo numero ultra octodecim millibus expressis.

MAJI Sanctorum Acta anno 1680 prodiere tribus tomis, non integra tamen, sed dimidia saltem, & sedecim priores dies exhibentia, reliquis in tres secuturos tomos rejectis. *Primo* Papebrochius Ephemerides Græcorum Moscorumque præfixit: has quidem æneis insculptas tabulis, quæ omnium Sanctorum, quorum quovis die apud Ruthenos memoria colitur, figuras referunt; istas vero metricas, quæ de singulorum dierum Sanctis hexametrum Græcum versum, & e Græco in Latinum conversum, recitant, Utrasque annotationibus illustratas licet cernere. Sancti autem Antonii, vel Antonini, Archiepiscopi Florentini Vitam ad secundum Maji diem prolixius idem executus est, eque Francisco Castilionense, & Leonardo de Serubertis, & Summario Processuum descriptam eam ad MSC. Codices Florentinos exactam dedit, ac Antonio Magliabechio dicavit. Nec exiguam tomi hujus partem occupat Vita Pauli V. Pont. Max. quam a Jo. Ant. Gabutio descriptam integram Actis inserendam duxit Henschenius *Secundo* tomo Hodeporica duo sacra præmittuntur, alterum Joannis Phocæ, qui anno 1185 loca sancta adierat, cujus locorum sacrorum ecphrasin e Græca Leo Allatius Latinam fecerat, Græcolatinamque anno 1653

Bartholdus Nihusius ediderat; alterum Antonini Placentini e MSC. erutum per Ignatium a S. Antonio, decimo vel undecimo scriptum seculo. Cæterum ingravescens Henschenii ætas, & infirma Papebrochii valetudo, curam injecerant Moderatoribus hujus Operis de socio illis dando, adjunxerantque *Danielem Cardonum* : verum Antverpiensibus anni 1678 feralis autumnus, qui e sola Professorum domo quatuordecim sustulerat intra hebdomades quatuor, istum quoque, dum in solatium auxiliumque morientium se incautus effundit, e vivis subtraxit, priusquam alicui parti Anni sacri præfigendo nomen suum famam publicam mereretur. Elogium tamen ejus Tomo alteri præfixit Conradus Janingus, in partem sacrorum horum laborum ipsius loco adscitus. Vita Stanislai auctore Joh. Longino, sive Glugosso, Canonico Cracoviensi scripta, & Gregorii Nazianzeni auctore Baronio prodita, Carmen item prolixius Nazianzeni Græcum de Vita propria a *Dan.* Cardono in solutam orationem Latinam conversum, præ cæteris in hoc tomo annotari merentur. *Tertium* præliminaris de Episcopis & Patriarchis Ecclesiæ Hierosolymitanæ tractatus insignit, in quo Chronologiam & Acta eorum, cum nonnullis aliis ad Historiæ orientalis notitiam facientibus, exposuit Papebrochius: ad exemplum Henschenii, qui similem operam in Romanorum Pontificum accurate texendo Catalogo posuerat, sub initium Actorum Aprilis extante. Singulis tomis his subjuncta sunt *Acta Græca* ex Menologio, Basilii Imp. jussu collecto, & MSCis Bibliothecarum Vaticanæ, Regis Christianissimi, Collegii Claromontani, Ducis Sabaudiæ, Petri Franc. Chiffletii, & aliunde ita congesta, ut quodlibet Volumen in fine ea reddat, quæ ad dies pertinent, quorum Sanctos istud describit, & proinde sedecim saltem dierum Acta Græca prodeant; reliquis mensis hujus (quem in sex tomos Collectores partiti sunt,) diebus in tres reliquos tomos sepositis: sed quos ante quartum & octogesimum seculi annum non prodituros esse, Auctores in Dedicatione primo Tomo præfixa ad Reverendissimum & Celsissimum Principem FERDINANDUM B. L. DE FURSTENBERG Episcopum Paderbornensem & Monasteriensem, ut omnium studiorum, sic & operis hujus Mæcenatem, professi sunt. Nisi, quod metuendum, spes nostras nunc longius differat Henschenii fatum, quod octogenario major superiori anno die 12 Septembris obiit. Sed bene sperare jubet Papebrochii, cui novus nuper socius *P. Franc. Bartius* additus

ditus est, alacritas & indefessus in his tractandis studiis animus: a quo non residuam modo Maji partem & Junii Acta nobis promittimus, verum totius Semestris a Bollando, Henschenio, & ipso adornati grande Supplementum, egregiis eruditionis monumentis instructum, exspectare jussi sumus: nil dubitantes, si vitam Divina concesserit gratia, eundem in habitum reliquorum etiam sex mensium Acta Sanctorum ipsum ac Socium esse composituros.

NOVUS ISMAEL, CUJUS MANUS contra omnes & omnium manus contra eum; sive P. DANIEL PAPEBROCHIUS Jesuita omnes oppugnans, orbi expositus per D. Justum Camum.

Augustæ Vindelicorum, 1683, in 8.

SAtyram, sub Dialogi forma adornatam, libellus hic continet adversus Jesuitas, infidos, ut Auctor ait, reliquorum Ordinum socios, & ex istorum Ordine præ cæteris, contra superstitem Actorum, quæ modo enarravimus, collectorem Danielem Papebrochium. Nam cum ab istis *Jansenismum Lovanii recrudescere* passim jactaretur; hic autem in Commentationibus suis ad Acta, passim reliquos Ordines, Benedictinos puta, Augustinianos, Franciscanos, Minimos, Dominicanos, & cumprimis Carmelitas, eorumque auctores, perstrinxisse, certe antiquitati eorum minus favere videretur, calumniis hanc toti gregi illatam injuriam confutandam censuit, qui sub *Justi Cami* nomine libellum hunc evulgavit. Facetus inprimis & lepidus in Papebrochium videri voluit, in præmissa Tomo III Maji Patriarcharum Hierosolymitanorum Historia Chronologica Parergo VII. n. 131. 133. p. 30. scribentem: *Bollandum motu omnino proprio, molesteque nonnihil ferente Henschenio, ac joco potius quam serio, S. Jacobum Eremitam in Palæstina, qui seculo VI vixit, Carmelitis accensuisse*; quod is nullos isto tempore Carmelitas extitisse statueret. Igitur in jocos hos, quos e seriis Bollandi verbis confinxisse Papebrochium Satyræ auctor persuasus est, quindecim epigrammatibus ludendum sibi duxit, Carmelitarum Ordinis antiquitatem in dubium vocari ægerrime ferens.

VALENTINI HENRICI VOGLERI de rebus Naturalibus ac Medicis, quarum in Scripturis Sacris fit mentio, commentarius; accessit ejusdem Physiologia historiæ Passionis JESU CHRISTI.

Helmstadii, 1682. in 4.

UT nulla philosophiæ sanioris pars est, quæ non perito Sacrarum literarum interpreti genuinum earundem sensum eruere volenti inserviat; ita scientiam rerum naturalium, non tantum historiæ creationis declarandæ multum lucis afferre, sed aliis quoque locis sacris explicandis prodesse insigniter, præter *Franciscum Vallesium in libro singulari de Sacra Philosophia, Guilielmum Ader in Enarrationibus de ægrotis & morbis in* Evangelio *Tolosæ* impressis, *Johannem de Mey in commentariis physicis Mediobu*r*gi anno 1651* publicatis, *Thom. Bartholinum de Morbis* (ut vocat) *biblicis*, & alios in vulgus eruditorum notos, nuper in commentario quem diximus ostendere aggressus est *D. Valent. Henr. Voglerus*, *in Academia Julia non ita pridem artis medicæ Professor clarissimus.* Ediderat ipse ante hos novem annos *Physiologiam historiæ passionis JESU CHRISTI*, quam commentario huic iterum subjungere hæredibus Viri jam beati placuit. Nisi ipse morte fuisset præventus, haud dubie majorem limam operi adhibuisset suo; interim multa in eo occurrunt, quæ curiosum Sacrarum historiarum studiosum oblectare aut erudire possunt. Loca quæ physicæ doctrinæ ope dilucidantnr, *aut* rerum naturalium mentionem solum faciunt, ut in historia creationis a Mose descripta factum; *aut* descriptiones earundem continent, quales apud Jobum, XXXIX. XL. XLI. cap. potissimum leguntur; *aut* res supra, vel contra naturæ *vires*, factas memorant, ad quam classem pertinent miracula a *DEO* aut sanctis viris patrata, quorum omnium catalogum *in fine* operis leges consignatum. Quod deinde res medicas *attinet*, eo refert non tantum quæ ad morbos in sacro codice *nominatos*, ac ad eorundem curationem pertinent; verum etiam ea, quæ generationis aut nutritionis mentionem injiciunt; ut de conceptu, uteri gestatione & partu, cum quæ alibi, tum quæ præcipue in historia Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Johannis

hannis item Baptistæ & CHRISTI memorantur. Multa etiam de variis generis morbis ac ægrotantibus, leprosis, gonorrhæis, cœcis, surdis, mutis, claudis, & modis curandi hosce disserit. Ubi tamen τὸ θεῖον in morbis dictis, nec non discrimen eorum qui per miraculum, ac qui per vires naturæ aut artis opera sanati sunt, observare & annotare non neglexit. In *Physiologia historiæ passionis JESU CHRISTI* declarat acerrimum Christi angorem animi, quem in horto, antequam caperetur, sensit: deinde sudorem ejus sanguineum, spineam coronam, aceti felle & vini myrrha conditi potum, solis eclipsin, sitim in cruce pendentis, acetum & hyssopum potui datam, clamorem Christi morientis, mortem repentinam illico secutam, terræ motum ingentem rupes dirumpentem, ex latere mortui perfosso profluentes humores, conditturam demum corporis monumento inferendi; quam prolixius, aliorum sententiis in medium allatis, describit.

PHILOSOPHIA VETUS ET NOVA AD usum Scholæ accommodata &c. Editio altera multo auctior.

Parisiis, 1681. in 12. & Norinbergæ, 1682. in 4.

OPus hoc, cujus prior editio Parisiis itidem prodiit anno 1678, Illustrissimo Domino Jacobo Nicolao Colbert Archiepiscopo Carthaginensi, Rothomagensi Coadjutori &c. a Bibliopola in epistola dedicatoria veluti Auctori nuncupatum, Philosophiam tum Scholasticam tum experimentalem hodiernam utiliter conjungit, eleganterque ac perspicue explicat. Distributum est juxta posteriorem editionem in sex tomos; primus Logicam, alter Metaphysicam, tertius philosophiam Moralem, quartus Physicæ partem primam generalem, quintus Physicæ partem secundam de corporibus vitæ & sensus expertibus, sextus partem Physicæ tertiam de corpore animato continet. Prior editio quatuor tomis ista omnia complectitur: nam in secundo philosophia Moralis & Metaphysica, in quarto partes Physicæ tum de viventibus tum de rebus vitæ expertibus conjunctæ sunt. Intercedit nihilominus inter utramque editionem haut leve discrimen, tum quoad ordinem partium, tum quoad res ipsas propositas. In priore editione Logicam philosophia Moralis statim sequitur, in posteriori Logicæ Metaphysicam mox subjicere placuit, quoniam

quoniam utriusque eadem pene est subjecta materies, dum circa generales quasdam notiones ambæ indefinite versantur. Physicæ prior editio ordine doctrinæ prius de animatis, post de inanimatis agit; posterior opposita naturæ methodo explicatis vitæ expertibus viventia tradit. Multæ doctrinæ ex pristinis sedibus in alias repositæ; inprimis quæ in Physica erant, de materia prima, formis substantialibus, quantitate, infinito, tempore, loco, motu universim spectato, in Metaphysicam rejectæ speculationes. Multæ plenius denuo expositæ, quanquam & in priore editione legantur, quæ in posteriore omissa sunt, aliqua studio, quædam negligentia typographorum. Insignes accessiones factæ sunt Metaphysicæ, *de Deo ut infinito & immenso*: Philosophiæ Moralis articulis *de Libertate*, *Religione*, *Lege divina*: Physicæ capitibus de natura corporis; de causis extrinsecis gravium descensum efficere potentibus ex D. Perrault; de motu gravium juxta numerorum imparium progressum accelerato; de experimentis circa aerem ex D. Mariotte; de firmitate & siccitate; de vi elastica; de mundo; de maculis Solaribus ex D. Picard; de Lunæ motu (ubi de novis Cyclis a Casſino excogitatis, quibus tempora longe facilius & accuratius, quam hactenus contigit, digeruntur, item de eclipsium Solarium & Lunarium observatione & utilitate ex eadem) de motu Lunæ circa proprium axem ex ejusdem Cassini Institutionibus Selenicis nondum editis; de fontium origine; de Thermis, de æstu maris, de terris, salibus, lapidibus, metallis; de plantarum vegetatione & nutritione, de structura & usu cerebri, de incessu animalium ex Malpighio & Perrault; de tactu, gustatu, aure, oculo, saporibus, odoribus; de lumine & coloribus ex Mariotte & Boyle; de vocis organis & mechanica eorundem structura ex D. Perrault; de diaphragmate ex eodem; de structura & motu cordis; de hepate, hepaticis remediis & affectibus; de sanguinis per renes percolatione, de sanguinis analysi mechanica ex observationibus microscopicis a Lovvenhock factis; de insectis &c. Integra capita accesserunt *parti secundæ* Physicæ; *de Artis Gnomonicæ principiis*, *de plantarum analysi & viribus*. Parti vero tertiæ; de nova ratione explicandi motus musculorum; de volatu & natatu; de motu animalium naturali, de qualitatibus tactilibus, de tubo optico, de microscopio, de varia animalium respiratione juxta diversos aeris status, de arteriarum structura & pulsu, de perturbato cordis & sanguinis motu, item febribus, de prima alimentorum præparatione. Colophonis loco est ex Boyle Appendix de Phosphoris.

LA PHILOSOPHIE DES IMAGES, PAR le P. C. F. Meneſtrier, de la Compagnie de Jeſus.

Philoſophia imaginum, ſive ſymbolorum & emblematum: Auctore R. P. Claudio Franciſco Meneterio, Soc. Jeſu.

Pariſiis, 1682. in 8.

SApientia, quæ in Emblematis Symbolisve habetur, antiquam habet originem; nec hodie aut heri iſta ſunt nata, ſed Sapientum primis in uſu fuere: quibus imagines erant quod verba, & qui tabulis ſignisque, etiam cum non loquerentur docentes, doctrinas diſcipulis ſuis inſtillabant. Univerſa rerum natura materiam præbet huic philoſophiæ, nec quicquam iſta protulit, quod non in Emblema abire poſſit, ex cujus contemplatione utilem virtutum doctrinam in vita civili capere liceat: adeo ut quemadmodum Hiſtoriæ ex Numiſmatibus, ita Morali philoſophiæ ex Emblematis lux inferatur, quæ ad quosvis humanæ vitæ actus inſigne commodum & eximium decus afferunt. Hæc ſane ad immortalem Heroum gloriam repræſentandam e triumphalibus ſuſpenduntur arcubus, hæc ad prodigioſam & admirandam Majorum virtutem oſtentandam explicantur in atriis, hæc ad defunctorum memoriam ſancte colendam circumferuntur in exequiis, hæc denique paſſim reperiuntur ab Imperatoribus, Pontificibus, Regibus & Principibus depicta, fuſa, impreſſa, inciſa, æri, argento, aurove: ut in ſymbolicis his involucris interioris animi affectus erudite explicatos & æternitati commiſſos agnoſcamus.

Collegerunt ea, ſive ab aliis inventa, ſive proprii ingenii felicitate reperta, in peculiares libros præſtantiſſimi diverſarum gentium Viri: quorum quidam, cum liberum hoc doctrinæ genus exiſtimaretur, ut unusquisque pro arbitrio quidvis aſſumeret condendis emblematis, certam in artem iſtud redegerunt & ejus præcepta tradiderunt: quæ tamen non ab omnibus recepta, ſed adverſis legibus oppugnata ſunt. Nam cum quidam ſtatuiſſent, omne ſymbolum velut corpore & anima conſtare, quorum iſtud figura, hanc lemma referat: corpus autem in eo ſimplex eſſe debere, nec e pluribus conſarcinandam eſſe imaginem: integrum humanum corpus ſymbolicam iconem ingredi

 non

non posse, partem tamen corporis ei constituendæ non esse ineptam: sensum ejus non cuivis obvium, neque tamen ita reconditum esse debere, ut nec eruditis pateat: lemma non alia quam Latina vel Italica lingua esse efferendum & hemistichio includẽdum; plures etiam hujusmodi regulas tradidissent: alii in contraria omnia ivere, symbolum ab emblemate toto distare cœlo existimantes, nec lemma in symbolo rationem formæ, figuram materiæ instar habere contenderunt, species etiam, in quas alii symbola dispescunt, heroica, naturalia, & moralia commenti, minus agnoverunt. Ejusmodi autem sunt plerorumque rationes, ut contendere pro se quisque magis quam evincere videatur.

Omnes quotquot in hoc studio laborarunt Auctores, tam eos qui artis hujus præcepta & regulas dederunt, vel peculiaribus libris, vel dum aliud agunt expositas, quam qui insignibus exemplis studium hoc illustrarunt, MENETRERIUS elegantissimus aliarum non magis quam hujus scientiæ Doctor recensuit. Qui postquam universam imaginum, quam vocat, Philosophiam, a nemine antea ea docendi ratione & doctrinæ copia excultam, Orbi exponere statuisset; egregium etiam Commentarium edidisset, quo a præstantissimis in Gallia Viris Maximo Regi attributum emblema & symbolum, Solem plures irradiantem orbes referens, adjecto lemmate: NEC PLURIBUS IMPAR, eleganter copiose & erudite asseritur & illustratur; (*la Devise du Roy justifie; à Paris 1679 in 4.*) hoc anno omnes, qui de symbolis & emblematis aliquid in literas miserunt, commemorandos sibi putavit. Cumque ab *Italis*, ut imaginum pingendarum sic emblematum condendorum facultate & perspicacissimis & exercitatissimis, labor ille præcipue occupatus sit, horum laudat plures, eorumque Opera succincte enarrat & de iis sententiam fert. Sunt vero: *Paulus* Jovius, Ludovicus Domenicus, Hieronymus & Vincentius Ruscelli, Scipio Ammiratus, Alexander Farra, Bartholomæus Taegius, Lucas Contilus, Joannes Andreas Palatius, Franciscus Camburaccius, Scipio Bargalius, Torquatus & Hercules Tassi, Julius Cæsar Capacius, Albertus Bernardettus, Jacobus Sassus, Andreas Chioccus, Johannes Baptista Licinius, Horatius Montaldus, Johannes Baptista Personus, Paulus Aresius, Abbas Ferrus, Silvester Petrasancta, Constantius & Pamphilus Landi, Cæsar Trevisanus, Felix Milensius, Stephanus Guazzus, Thomas Garzonus, Petrus Gritius, Johannes Bellonus, Rudolphus Mojeschinus

ſchinus Pius, Johannes Baptiſta Piccaglia, Guido Caſonus, Franciſcus Lancus, Franciſcus Contarenus, Ruggerius Peſcus, Hieronymus Aleander, Marinus Bolizza, Johannes Baptiſta Albertus, Emanuel Teſſaurus, Petrus Abbas, Franciſcus Carmenus, Philippus Picinellus, Aurelius Corbellinus, Gabriel Simeonius, Bernardinus Percivalius, Alcibiades Lucarinus, *Johannes* Baptiſta Pittonus, Bartholomæus Arnigius, Valerius Zanus, Octavius Strada, Ulyſſes Aldrovandus, Johannes Paulus Reinoldus, Simon Birallius, Principius Fabricius. Ex *Anglis* unicum Abrahamum Frans: Ex *Batavis* neminem: Ex *Hiſpanis* Didacum Savedram, Johannem Oroſcium Covarruviam, Johannem Franciſcum de Villava, Andream Mendonem, Alphonſum de Ledesma, Johannem Baptiſtam Chriſtinæum, Johannem Pinedam, Balthaſarem Corderium, Didacum Ortuneſium de Calaorra, Petrum la Sierra, Marcum Martineſium: Ex *Germanis* Anshelmum Botium, Athanaſium Kircherum, Jacobum Maſenium, Academicos Altorfinos, Henricum Engelgravium, Carolum Regium, Martinum Breſſerum, Julium Gulielmum Zincgrefium, Jacobum Typotium, Joachimum Camerarium, Salomonem Neugebauerum, nominat.

A *Gallis* autem ingenii acumine & felicitate ad ſummam dignitatem emblemata cum lemmatibus evecta eſſe prædicat; verumque hujus artis eos indagaſſe uſum, cum priſcis Franciſci & Adriani Amboſiorum, Andreæ Alciati, Claudii Paradini, Claudii Minois, Ludovici Brettani, Henrici Stephani, Mauritii Sevi, Caroli Bovii & aliorum exemplis, tum recentioribus Petri Moanæi & Dominici Bukurſii illuſtribus documentis demonſtrat: quorum iſte egregium de arte emblematum lemmatumque (*de l'art des deviſes*) commentarium venuſtiſſimis ingenioſiſſimisque emblematis illuſtratum edidit; hic inter Dialogos, quos elegantiſſimos eruditiſſimosque inter Ariſtum & Eugenium inſtitutos compoſuit, inſignem & prolixam tractationem de eorum natura & conſtitutione, vitiisque ac virtutibus ſuſcepit, ſelectiſſimaque eorum exempla attulit, peculiare huic argumento tribuens Colloquium, quod in iſto Opere ſextum locum tenet. Artem vero hanc emblematicam illuſtrium Virorum in Galliis opera ad majus & conſummatum decus provectam Auctor oſtendit; ac ipſi Cardinali Mazarino, qui ex Italia in Galliam ſtudii hujus amorem attulerat, maximopere iſtud probatum fuiſſe, ingenio præſtantiſ-

ſimorum hominum Henr. Lud. Haberti de Hontmor, Dnn. Clementis, d' Ouvrier, Chapelain, Charpentier, Perraut, Quinault, Bourzeys, Talemann, Buſſieres, & Mademoiſelle de la Vigne poſtea excultum & perfectum docet.

Huic de Auctoribus, qui emblematum ſymbolorumque naturam & exempla tradiderunt, Diſſertationi, ipſe ſubjicit Auctor exempla plurima & ſymbola de Cœlo, Sole, Aurora, Lumine, Nocte, Planetis, Pareliis, Cometis, & ſideribus deſumta, quæ pleraque ex Scriptoribus, de quibus antea ſententiam dixerat, depromſit. Partem autem *primam* ſe jam ſaltem dare, ſymbola ab aſtris & cœleſtibus rebus petita exhibentem, indicat; cui *alteram* ex elementis conflata; & *tertiam* ex artificialibus corporibus compoſita oſtenſuram, numero eorum millenarium quater ſuperante, ſit adjecturus. *Hiſtoriam* etiam Symbolorum ac emblematum, *Artemque* eorum condendorum certis incluſam regulis, quæ firmioribus nitantur fundamentis, ſe traditurum pollicetur. Eo nempe allaborans ut abſolutam reddat & omnibus numeris perfectam hanc doctrinam, quam & hodie paſſim in magnatum aulis, ſuperbis ædificiis, magnificis monumentis, templis, aris, monetis, libris, veſtibus etiam exornandis inſignem utilitatem afferre ac egregium decus conciliare videmus: de qua, licet apud ipſos non ſatis exculta, præclare judicarunt Veteres; quod vel unius Clementis Alexandrini patet ſententia, dum Lib. V Stromat. pag. 415 inquit: χρησιμότατον τὸ τῆς συμβολικῆς ἑρμηνείας εἶδος εἰς πολλά, καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν συνεργοῦν, καὶ πρὸς εὐσέβειαν, καὶ πρὸς ἐπίδειξιν συνύσεως, καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν, καὶ σοφίας ἔνδειξιν. Σοφοῦ γὰρ τὸ χρῆσθαι τῇ συμβολικῇ φράσει δεξιῶς, φησὶν ὁ Γραμματικὸς Δίδυμος, καὶ τὸ γνωρίσαι τὸ διὰ ταύτης δηλούμενον.

MARTINI RUARI nec non aliorum illuſtrium, ſpectabilium doctorumque Virorum ad ipſum vel ejus cauſa ſcriptarum EPISTOLARUM SELECTARUM Centuria altera & ultima.

Amſtelodami, 1681. in 8.

MARTINUS RUARUS natione Holſatus, Vir exceptis ſectæ ſuæ, quæ fuit Socini, erroribus ſic ſatis probus, ob ſummam eruditionem

tem & maximas ingenii dotes non modo inter suos illustre obtinuit nomen, sed & magnis ubique viris, a religione ejus alioquin alienis, gratissimus vixit. Occasionem qua ex Lutherano *Altorfii factus sit* Socinianus, ipse memorat Centuriæ hujus pag. 173. 174. 175. 176, dum nempe in Ernestum Sonerum crypto Socinianum incidisset, ac Gregorii Nysseni λόγον quendam κατηχητικόν, suasu Rittershusii & Hoeschelii, Romana vestetum primum induendum sibi sumsisset. E Norico agro pulsus, egit deinde passim in Germania, Dania, Anglia, Belgica, Gallia, Italia, maxime autem Polonia, & tandem in urbe Gedanensium domicilium *sibi* legit, fortunarumque suarum sedem ibi collocavit, præcipuorum Regni Poloniæ Senatorum negotia curæ suæ commissa administrans. Et quamvis Ecclesiæ ministri munus inter suos nunquam gesserit, *sibi* tamen haud potuit temperare, quominus errores suos disputando, disserendo, aliove modo inter cives Dantiscanos disseminaret. Hinc aliquoties a magistratu hujus urbis loco excedere jussus est, sed interveniente Castellani Cracoviensis Stanislai Koniecpolski, supremi militiæ Regni Poloniæ Ducis, aliorumque nonnullorum ex præcipua Nobilitate intercessione, iterum iterumque suspensa fuit injunctæ migrationis executio. Cum autem libertate propriæ conscientiæ non contentus, dogmatis sui virus nihilominus hominum *animis instillare* pergeret, Dantisco expulsus in Strassinio, uno vel altero milliari inde distante pago, cum familia substitit: donec a Vladislao & Johanne Casimiro Poloniæ Regibus, ex commendatione cum aliorum Regni Consiliariorum, tum inprimis memorati Cracoviensis Castellani, in ministrorum Regiorum numerum adscitus, libere ubique non modo commorari & negotia exercere, sed & sacra sua peragere potuit: id quod uberius cognoscere licet e pluribus Centuriæ huic insertis epistolis a XLIIX ad LXXXIX, tum ab ipso tum ad ipsum vel ejus causa exaratis, pag. 324.--417. Scriptorum hujus Viri cum antea nullum prorsus extaret, quod ipse vel sua non amaret adeo, vel incommodis quibusdam intercedentibus perficere non posset, quæ majorem animi & corporis tranquillitatem postulabant; ejus tandem *Epistolas* hinc inde dispersas post obitum Parentis colligere instituerunt superstites duo filii, Joachimus & David Ruari. Harum *prima* Centuria Amstelodami anno 1677 in lucem & conspectum hominum edita, magno cum applausu eruditorum, quod illic res magni in religione momenti inter-

inter diversarum sententiarum atque sectarum asseclas, pertractari & examinari viderent, fuit excepta. Quæ res animum addidit natu minori filio Davidi, ut ex sua officina *alteram* quoque eamque ultimam parentis aliorumve illustrium & doctorum Virorum ad eum vel ejus causa scriptarum Epistolarum Centuriam anno 1681 evulgaret, eam simul spem in Præfatione faciens Lectori, propediem & *reliqua* hujus Auctoris tam *Historica* quam *Theologica, quæ nullius turbare conscientiam, sed solummodo ad mores corrigendos pietatemque colendam incitare* Christianos scribit, esse secutura.

Multa vero in altera hac Epistolarum Centuria continentur, quæ cuivis docto, tum ob stili elegantiam, tum rerum erudite cognoscendarum jucunditatem, eas facile commendant: siquidem in iis non Philosophus modo, Politicus, & Historicus, sed & potissimum Theologus invenit, quorum notitia eum forte antehac fugiebat. Et ad *Philosophum* quidem spectat subtilis admodum disputatio de loco mundi, seu spacio illo quod ipsum universum ambitu suo complectitur p. 206. 207. 285, de divisione puncti in infinitum sive actuali sive potentiali a p. 207. usque ad 217. & p. 286. 287. 288. de mundi æternitate contra Peripateticos p. 19. 218. 241. de ratione formali pœnæ in malo ob culpam simpliciter sumtam posita, sive hæc sit propria sive aliena pag. 242. 250. *Politicum* non minus quam *Historicum* oblectabunt ea, quæ leguntur de statu Galliæ post Henrici IV mortem p. 25. 26. de Rhatichio profitente novam docendi methodum Augustæ Vindelicorum pag. 32. de Argentorato ejusque Academiæ statu p. 34. 35. de Judæorum Cracoviæ synagoga p. 75. istiusque urbis intra & extra muros spectatæ amplitudine, templo item arcis regiæ cum nonnullis ejus monumentis p. 77. de salis fodinis quæ sunt Veliciæ, & proventu earundem annuo pag. 77. de reliquorum Poloniæ oppidorum ratione p. 96. de elegantiis istius gentis in excipiendis hospitibus p. 97. 98. de homagio Imperatori a Noribergensibus præstito, & pompa qua exceptus is fuit sub urbis hujus ingressum p. 197. de Nelli, qui Cæsari a jocis fuit, faceto quodam responso p. 199. de insigni spectaculo sive certamine στοχαστικῷ, quod annulare vocant, Onolzbachii edito in nuptiis Joachimi Ernesti Marchionis cum Solmense Comitissa Sophia p. 201, de Conventu Principum Francofurdiensi & bello Germanico circa annum MDCXXX. pag. 290. de fœdere super mutua quorumvis de religione dissidentium tolerantia inter Or-

dines

dines Regni Poloniæ anno M D LXX sancito p. 379. de bello Scythico feliciter a Polonis anno M DC XLIV profligato p. 397. 400. de formandis studiis politicis p. 405. de felici Polonorum expeditione in Moscos p. 436. Quæ *Theologo* discutienda sint, ad unam haud facile redegeris classem. *Didactica* sunt quæ disseruntur de baptismo aquæ, an & quatenus in Ecclesia necessario sit retinendus p. 251. in Scripturis sacris explicandis antiquorum Scriptorum consensu haud esse innitendum p. 284. de usu gladii inter Christianos p. 300. 301. de Christi Deitate p. 303. 304. in quibus subinde heterodoxa adspersa prudens Lector deprehendet. In *Polemicis* exercere quem poterit Ruarus, more Socinianorum acerrime disputans contra servum arbitrium in rebus spiritualibus p. 13. 14. futurorum contingentium divinam præscientiam p. 15. 16. 17. 18. fidem infantum p. 19. 20. finalem electorum perseverantiam p. 53. 54. 55. 56. trium Personarum in una Essentia Divina subsistentiam p. 124. 125. Christi Deitatem p. 308. seqq. unionem personalem duarum naturarum in Christo p. 126. 127. 128. officium ejus mediatorium p. 129. 130. nomen Patris essentialiter sumtum & de Christo usurpatum p. 131. 132. 133. communicationem idiomatum p. 134. 135. 136. peccati originem ex lapsu Adami naturalem p. 154. Idem disputat contra idololatriam Ecclesiæ Romanæ p. 438. 439. abusum auricularis confessionis atque indulgentiarum p. 440. & qui committitur in alleganda veteris Ecclesiæ auctoritate pag. 441. *Exegeticis* annumeranda veniunt ea, quæ ad loca Scripturæ varia utpote Psalm. XCVII. 5. (p. 120. 121.) CX. (p. 116. seqq.) Jes. IX. 6. 7. (p. 52. 53. 112. 113. 114.) XXXV, 4. 5. 6. (p. 108. 109.) LIII. (p. 114. 116.) Zach. II. 8. (p. 110. 111.) Matth. IX. 2. (p. 101. 102. 103.) XXIV, 24. (p. 54. 56.) Joh. XII. 41. (p. 106. 107. 108.) Actor. II. 34. (pag. 119. 120.) VII. 53. (p. 270. seqq.) 1. Cor. IIX. 6. (p. 132. 133.) Gal. III. 19. (p. 270.) Hebr. I. 7. (p. 118. 119.) II. 13. (pag. 53.) aliaque more suo, id est Socinistico, commentatus est. *Casistica* & Practica sunt: An cum nemine in religione dissentiente literarum liceat colere commercium? ob dictum Johanneum II Epist. v. 3. p. 7. 10. 11. Num aliquanto liberius in sententias variarum sectarum Christiano integrum sit inquirere? p. 38. 39. Quomodo is, qui desperationi propter peccatum aliquod proximus sit, erigi & in statu suo firmari debeat? p. 140. sqq. An & quatenus Sociniani sacram synaxin celebrare possint apud Lutheranos? p. 27. (& iterum p. 169. 170. ubi eadem legitur epistola, Leuschnero tributa, quam pag. 27 Husvvedelius

scripsisse

ſcripſiſſe ferebatur) Num ab iis ſententiis, quæ manifeſta & conſentiente piorum Veterum interpretatione firmantur, ob conſequentias, quas forte aliquis non poſſit ſolvere, ipſi diſceſſio facienda ſit p. 258. ſeqq. An & quatenus Chriſtiano liceat magiſtratu fungi p. 268. ſeqq. An omnia exacte prius in Theologia cognoſcenda ſint ipſi, qui ad munus aliquod publicum in Eccleſia cupit accedere, p. 297. An quisquam religionis & conſcientiæ cauſa ullo incommodo afficiendus ſit in Republica p. 333. ſeqq. p. 351. 363. 369. 378. 425. An major in eo eluceat charitas, qui bona proximi ad ſe non rapit, quam qui ab uxore alterius abſtinet p. 422. An ob tranquillitatem in Eccleſia ſervandam, reticenda ſint aliquando dogmata, ſi maxime vera, minus ad ſalutem tamen neceſſaria p. 443. Inter *Aſcetica* prolixa illa parænesis, ad colendum pietatis ſtudium p. 41. ſeqq. cum diſcurſu de militia hominis Chriſtiani p. 47. 48. 49, numeranda eſt. Huc referenda etiam commonefactio eorum, quæ virtutum homine Chriſtiano dignarum cultum non parum impediunt p. 412. Ad *Critica* pertinet virgula cenſoria, quam in Dialogum Weigelii de Chriſtianiſmo Ruarus ſtringit p. 56. 57, nec non judicium Georgii Konigii Theologi Altorfini de Socinianorum ſcriptis p. 180. ſqq. vindicatio cujusdam loci Volkeliani ex ejus Lib. IV de vera religione male intellecti p. 422, laudatio funebris & luctus ob mortem Johannis Crellii p. 428. 429, & judicium de ſcriptis Hugonis Grotii p. 438. *Hiſtoriæ* ac prudentiæ *Eccleſiaſticæ* tandem inſerviunt, quæ memorantur de Heilbrunnero Theologo Neoburgenſi p. 51. Valentino Weigelio p. 57. 58. Joachimo Eberhardo, Philoſophiæ magiſtro, ejuſque enthuſiaſmo Argentorati in publica concione ſe exerente, carcere & deportatione coërcito p. 81. de Jona Schlichtingio p. 317. de Erneſto Sonero, e cujus diſciplina ſe & alios fratres profectos eſſe teſtatur Ruarus p. 86. 91. 92. 174. 175. de Martino Smiglecio p. 96. de Petro Bertio p. 164. 165. ejusque defectione ad Papatum p. 167. de Jo. Crellii Locis Theologicis, qui nunquam tamen prodiere, p. 171. ejusque virtutibus p. 187. de templo Freidenſtadienſi, viros a fœminarum aſpectu, ſuæ ſtructuræ commoditate, prohibente p. 33. de Synagoga Judæorum Cracovienſi, pictis imaginibus intus exornata, quas in Romanenſibus alias hi deteſtantur p. 75. 76. de ſtatua lignea templi Cracovienſis in formam hominis aſino inſidentis facta, ejusque ſolenni deductione, quæ in Dominica Palmarum quotannis ſuſcipitur p. 77. de moderato Ruari ac prudenti ſectam ſuam ſequendi ſtudio p. 177. 178. 179. de diſputatione ejus

ejus Gedanensi p. 345; de feliciore statu Remonstrantium in Belgio, succedente in Principis Mauritii locum Frederico Henrico Nassovio pag. 266. 267; de Floriani Crusii medici in spargendis erroribus Socinianis apud Gedanenses studio p. 361; de ejusdem & Zvvickeri ac Ladebachi proscriptione p. 372; de libero sacrorum Socinianorum exercitio in Strassinio prope Dantiscum pago p. 373. sqq. de Duræi εἰρηνοποιοῦ conatibus frustraneis p. 425. &c.

S. ANASTASII SINAITÆ ANAGOGIcarum Contemplationum in Hexaëmeron Liber XII, hactenus desideratus; cui præmissa est Expostulatio de S. Johannis Chrysostomi epistola ad Cæsarium Monachum, adversus Apollinarii hæresin; a Parisiensibus aliquot Theologis non ita pridem suppressa.

Londini, 1682. in 4.

ANASTASIUS Antiochenus Patriarcha, qui quod in monte Sinai vitam monasticam excoluisset, *Sinaita* vulgo dicitur, exeunte sexto seculo fatis suis defunctus, varia post se opuscula, & inter hæc Anagogicas contemplationes in Hexaemeron reliquit, quod opus extrema sui parte hactenus caruit. Nam in Bibliothecis Patrum Contemplationum istarum libri tantum undecim comparent. Nunc vero duodecimus, juxta fidem MSC. quod ex Johannis Dallæi Bibliotheca in Colbertinam transiit, cum interpretatione Latina & conjecturis *Andreæ Dacerii* accessit. Ac ne quis miretur, cur liber hic duodecimus tamdiu in tenebris delituerit, præfationis Auctor monet, in eo nonnulla cum Transubstantiationis doctrina pugnantia contineri, quæ librorum Censores supprimere, quam sibi suæque religionis hominibus negotium facessere, maluerint. Atque idem fatum *D. Chrysostomi ad Cæsarium Monachum epistolam* ob eandem rationem etiamnum experiri, in Expostulatione præfationi subjuncta queritur. Enimvero celeberrimum istum Ecclesiæ Doctorem epistolam aliquam ad Cæsarium Monachum exarasse; quamvis ea nec inter opera Chrysostomi legatur, nec a Catalogorum Scriptoribus recenseatur; ex *Vetere* aliquo *Scriptore*, *qui* post septimi seculi medium *contra Severianos & Acephalos scripsit*, opera Turriani in lucem edito, nec non e *Nicephori Patriarchæ Constantinop.* disputatione

tione adversus Iconomachos, quæ in Colbertina Bibliotheca manuscripta extat, & aliis monumentis abunde constare arbitratur eruditus Expostulator. Neq; dubitat eam Chrysostomi epistolam adhuc extare, cum superiori seculo Petrus Martyr e Florentina Bibliotheca istam descripserit, quod apographum in Cantuariensis Archiepiscopi Thomæ Crammeri bibliothecam translatum quorsum postea pervenerit, cum sub Mariæ Imperio hæc bibliotheca diriperetur, incertum. Accidit autem, ut doctissimus Vir *Emericus Bigotius*, dum ante aliquot annos in Italia versaretur, Florentiæ in eandem epistolam, quam olim Petrus Martyr ibidem descripserat, incideret; quam Parisiensem Archiepiscopum Petrum de Marca pro genuino Chrysostomi foetu agnovisse ejusdem consobrinus Fagetus epistola ad primum Palensis in Bearnia *Curiæ* Præsidem testatus est. Nec Fagetus modo rem istam in publicum protulit, sed ipse etiam Bigotius se epistolam illam, quamprimum occasio daretur, in publicam lucem emissurum pollicitus est, & cum sub prelo gementem *Palladii Dialogum de vita Chrysostomi* illico lucem visurum amicis significaret, hanc Chrysostomi epistolam post ejusdem vitam, loco maxime oportuno, se itidem editurum haud semel pronunciavit. Quod neminem non novisse, cui aut ipse Bigotius, aut *Menagius*, aut *Justellus*, aut *Baluzius*, aut *Formentinus*, aut *Santolius* aliique clarissimi viri non sint penitus insalutati, Expostulationis Auctor asserit; subjungens, fuisse etiam, qui Bigotii præfationem viderint, ipsumque apud amicos libere professum, se aliquot ejus exemplaria jam excusa sibi asservasse, & alia nonnulla apud amicos quospiam reposuisse; esse insuper Viros probos, qui *Robertum Bigotium* in supremo Parisiensium senatu Consiliarium, hanc ipsam Chrysostomi epistolam in consanguinei sui manibus vidisse profiteantur, denique in Angliam, Belgium, ac alio missa prioris paginæ jam excusa aliquot exempla, hanc epistolam cum Palladio mox prodituram, rem omnibus notam fecisse. Sed eventum promissis non respondisse dolet; cum a *Parisiensibus nonnullis* Theologis, e quibus *Dn. Grandinum* & *Dn. Faure* nominat, & epistola illa diu desiderata, & Bigotii præfatio, suppressæ fuerint; eamque ob causam in isto Palladii volumine post pag. 236 integer quaternio desit, per quam immanem lacunam lector ad fraudis cubilia deducatur. Causam autem tam inopinatæ suppressionis non aliam esse scribit, quam quod Chrysostomus in hac epistola Transsubstantiationi adversetur, asserens, *panis naturam*

turam integram permanere; quamvis Divina sanctificante Gratia, mediante Sacerdote, Corporis Dominici appellatione dignus habeatur. Quæ verba Petrus Martyr anno 1548. in *Disputatione adversus Gardinerum* Wintoniensem Episcopum allegavit. Quæ vero ad hoc Chrysostomi testimonium Gardinerus, & postea Perronius adversus Plessæum disputans, & Gamachæus regesserunt, (quorum ultimus epistolam illam non Johanni Chrysostomo, sed Eleemosynario tribuit, illumque excusandum pronunciat, quod Transubstantiatio ejus temporibus non ita perspicue tradita fuerit) Expostulationis Auctor breviter recenset & confutat; & quod Parisienses illi Theologi, qvi hanc Chrysostomi epistolam supprimendam censuerunt, rebus suis haud bene consuluerint, demonstrat. De cætero, quod Chrysostomum non modo Transubstantiationi, sed etiam reali Corporis & Sanguinis Dominici præsentiæ adversatum, cum Albertino & Auctore Disquisitionis de Sanguine Christi existimat, in eo Virum Clarissimum falli minime dubitandum est.

Die unüberwindliche Festung/ oder gründlicher Bericht/ wie gantz neue Festungen/ auf eine fast unüberwindliche Weise/ anzulegen.

h. e.

MUNIMENTUM INEXPUGNABILE; SEU Munitionum, tum pene inexpugnabilium exstruendarum, tum legibus Batavicæ architecturæ extructarum firmandarum magis perficiendarumque, solide ostensa ratio.

Auctore Ernesto Friderico a Borgsdorff, Architecto.

Ulmæ, 1682. in 8.

HOdierno Marte oppugnandis munitionibus impetum suum novis indies artibus intendente, nec operibus ex Architectura militari hactenus recepta, sive procul arcendis longo tempore hostilibus insultibus; sive tumultuariæ per subitam vim expugnationi cavendæ; sive mutuæ inter se opi ferendæ, sufficientibus: occupatum hactenus ab illustribus ingeniis plurimis laborem, in perficienda Architectonice, struendisque quantæcunque hostium vi paribus munimentis, sibi etiam sumere

ſumere voluit Auctor, editoque hoc ſcripto publicis impertiri commodis.

Profeſſus autem, ſe minime ſtudio detrahendi quicquam debiti honoris illis, quibus præcipua ſua debeat Architectura (ſic dicta) Batavica aut Freitagiana, animum huic operæ adjunxiſſe; ſed exemplo celeberrimorum hujus ævi Architectorum inductum, arti promovendæ cogitata ſua, quantumvis ab aliorum ſenſis aliena, publicare decreviſſe. *Inexpugnabilis* titulum, Munitioni ad normam a ſe præſcriptam exſtructæ tributum, eo jure tuetur, quo ſupremos mundi Magnates Invictiſſimos ſalutamus: quos quemadmodum heroica ſua facta, quibus alios antecellunt, hoc titulo inſigniunt; ſic merito Illam, quæ ſupra conditionem aliarum, nec ſubitis impreſſionibus capi, nec *diſpoſitis* per ſuggeſtus tormentis accedi, disjicive poſſit, & cui expugnandæ *parem* omnino viribus oppugnatorem *nulla bellorum hucusque* geſtorum *ſuppeditet* hiſtoria, hoc nominis ſibi vendicare.

Novæ porro ſuæ muniendi rationi XVII ſequentia Axiomata (eo, quo ab Auctore referuntur, ordine hic recenſa) tanquam principia præſtruit:

I. Hoſti rectis itineribus, foſſis vineisque ad munitionem acceſſum; & *diſpoſitis per* aggeres tormentis valli ruinam molienti, maxima infertur a tormentorum viribus noxa & impedimentum.

II. Vineæ hoſtiles eruptionibus, manuque facta disjectione, efficaciſſime retardantur.

III. Violenti impetus impreſſionesque jactibus tormentorum, impactos globos &c. grandinatim evibrantium, validiſſime infringuntur.

IV. Ab occupatione & inſeſſione ſtratarum valli ruinarum *Hoſtem* oportet poſſe prohibere.

Partes Munitionis V. plurimi ſumtus plurimum *conferant* ad defenſionem.

VI. *defenſæ defendentibus* mutuam viciſſim opem præſtent.

VII. defendentes defenſis robore minimum ſint pares: ne Hoſtis plus, quod impetere, quam a quo impeti poſſit, offendat.

VIII.

VIII. Cuivis lineæ oppugnatæ, individuæ ab altera quapiam suppetiæ sunt destinandæ.

IX. Quo pluribus Munitio cincta fuerit Propugnaculis, eo est validior.

X. Cavendis subiti *impetus* expugnationibus Polygonum interius æque munitum *sit atque* exterius.

XI. Anguli *defensi* exigantur ad rationem angulorum defendentium.

XII. *Munimentum* obsessorem ubivis ictibus tormentorum suorum habeat *obnoxium*.

XIII. Hostis usibus terra, quoad fieri potest, subducatur: ut quærendis *latibulis* eandem secum advehere necesse habeat.

XIV. Munitio oppugnantem nec ex alto magis, nec ex profundo, *sibi habeat* infestum, quam idem Ipsam possit experiri.

XV. Defensorum commeatui communicationique tutus tectusque Munitionem circumcirca sit ambitus.

XVI. Justa Munitio, exercitus probe instructi præliumque capessituri exemplo, diversis sibique in subsidium & vicem succedentibus operum suorum velut aciebus, Hosti suo occurrat.

XVII. Quemadmodum in prælio, prostratis cæteris, *vel ultima* legio sustinere adhuc pugnam potest; sic Munitionis hæ acies ita inter se sint diversæ, ut singulas, ad extremam usque continuata oppugnatione, Hostem oporteat devincere.

Atque his sive conditionibus sive defensionis debitæ momentis omnibus, ut propositos hucusque muniendi modos destitui; sic suum veluti fundamento niti, speciosis admodum discursibus contendit: quibus brevem subjungit explicationem sex Schematismorum, diversas munitionum, *legibus* supra dictis exstructarum, species exhibentium.

Defectibus denique Munitionum Batavicarum medetur, correctis præcipuis Munimenti partibus, Collo puta, Alis, & faciebus Propugnaculi, Fossa, Collibus tormentariis, Præmunitionibusque: ita ut Axiomatibus modo memoratis utcunque conciliatæ, defensioni præstandæ sint ac alias aptiores.

LE CABINET, OU LA BIBLIOTHEQUE des Grands, &c. Par Gedeon Pontier, &c.

id est:

Bibliotheca Magnatum, continens observationes & indagationes omnium Statuum sive Potestatum supremo dominio gaudentium, multasque nostri temporis relationes singulares & exquisitissimas: Historiam, Chronologiam, Topographiam, Hydrographiam, Politicam, Insignia, Symbola, Miracula, & egregia alia. Dedicata Regi a Gedeone Pontier *Presbytero Theologo, Protonotario Sedis Apostolicæ.*

Parisiis, 1682. in 8.

QUicquid amplissimus hic titulus promittit, exhibetur Tomis parvis duobus, in unum non magnum volumen compingendis: Ita compendio laboris factum est, ut ex vastissima & infinita pene materia paucissima allata sint, quæ lectores expectant. Nec minima libri pars in digressiones absumitur, quas in præfatione excusaturus Autor, non utiles solum, sed & necessarias, ad relaxandam lectoris lassitudinem, & amœnam ejus instructionem, esse asserit. De delectu etiam sive ordine, quem lector exigeret, ita se defendit, ut dicat genus scribendi naturale, quo ipse usus sit, semper præferri a sagacioribus, compilationibus scholasticis & affectatis. Tractat autem tomo opusculi primo de *Pontifice Romano, Duce Sabaudiæ, Magno Duce Hetruriæ, Duce Mantuæ, Mutinæ, Parmæ* & de Ditioue *Tridentina.* Ex Italia in *Galliam* progreditur, & de Rege quædam, pluscula de Episcopis refert, commemoratis omnibus, qui hodie Cathedras Metropolitanas & Episcopales obtinent. Pergit ad Ducem *Lotharingiæ*, inde ad *Imperatorem*, ut vocat, *Germaniæ*, ubi pauca quædam, sed mutila, de Augustissimo Cæsare, dein provincias, urbes, flumina refert; singularibus vero capitibus agit de Electoribus; concludens hunc tomum narratione de Rege *Hispaniæ.* Tomo secundo tractat de Regibus *Britanniæ, Lusitaniæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ*, tum de *Moscorum, Tartarorum Precopensium* Dominis. Dein de Rebuspubl. Liberis, *Veneta, Belgio fœderato, Helvetiis,*

Genua, *Geneva*, *Luca*, & *Ragusa*. Inde ad Barbaros digressus, de *Turcis*, *Persis*, *Tartaris Asiaticis*, *Sinensibus*, *Indis*; Denique etiam in Africa de *Mauritanis*, sive *Maroccensibus*, *Abyssinis*, *Ægyptiis*, de *Monomotapæ*, & *Congi* Regnis. De omnibus aliqua, eaque pauca, digressionibus plurimis interpolata: *v.g*, Tomo primo, capite de Pontifice, agit de *Etymologia tituli Cardinalium*; de *origine Campanarum*; de *ritu Jubilæorum*; de *titulo Pontificis*, cur *sanctissimus* appelletur, contra Protestantes, (hos enim arrepta occasione undique insectatur;) de *acu magnetita*, de *Prophetia S. Malachiæ*, qua Pontifices futuri per ænigmata designantur, & aliis ejuscemodi, intermixtis etiam & annexis Philologicis quibusdam, aut potius Grammaticis, quæ notare & excerpere longum foret; atque hoc modo per totum Opus sibi indulget.

Etsi vero instituti nostri memores, censura abstineamus, non possumus tamen vel in ipsius auctoris gratiam, (qui in calce operis observationes & correctiones quasdam ipse adjecit,) vel ad nostratium instructionem dissimulare, excidisse Scriptori huic multa, dum compilatores qualescunque, vel rumores incertos sequitur, & locorum peritia caret, quæ emendatione indigent. Specimen unum & alterum ex illis capitibus apponemus, quæ res notissimas continent. Tom. I. p. 252 hoc habet: *Erfordia est urbs præcipua Landgraviatus Thuringiæ, spectans ad Domum Saxonicam, sicuti etiam Dresda; Est alia urbs Erfordia quam defunctus Archiepiscopus Moguntinus sub dominationem suam, ante aliquot annos redegit, adjutus copiis Gallicis sub ductu Pradelli Gubernatoris S. Quintini.* Hæc manifeste erronea sunt: una est enim in Thuringia Erfordia, ut omnes norunt, neque aliam possidet Elector Moguntinus. P. 269 refert: *Visurgim oriri in Saxonia Naumburgensi, haud procul a Saxonia Altenburgensi*; quod plane falsum est, oritur enim Viera, (qui postea auctus ad Mundam Fulda flumine, Visurgis nomen sumit) in finibus Franconiæ, trans sylvam Thuringicam, milliaribus Germanicis 16 a Naumburgo dissitis. P. 294 ubi paucissima de Serenissimo Potentissimoque Saxoniæ Electore, Domino nostro Clementissimo, refert, (quæ examinare supersedemus,) pro descriptione quadam provinciæ, quam Lector merito expectare poterat, hæc subjungit: *Magdeburgum est maxima totius provinciæ urbs; possidet hanc Elector Brandenburgicus, ex præscripto Pacis Monasteriensis; tenet in hac præsidium validum, nullique sumtui parcit, ut eam muniat. Archiepiscopus ejus est Lutheranus*

nus, idemque simul est Episcopus Hallensis &c. Magdeburgum autem nunquam fuit urbs superioris Saxoniæ, sed inferioris, nec in Electoratu Saxonico præsidium aliud tenetur, quam summi Principis nostri. Tacemus quæ occasione Wittebergæ, (nam præter hanc & Dresdam nullam aliam neque Saxoniæ neque Misniæ urbem, ne Lipsiam quidem nostram, nominat) in B. Lutherum effundit, dudum explosa. Pag. 279 Beatum Rhenanum, scriptorem Germanicarum rerum citans, prænomen ejus pro sanctitatis elogio habet. Scribit enim *le Bienheureux Rhenanus.* Ita scilicet vocari solent, quos minorum gentium Sanctos, sive beatificatos, Romanus Pontifex pronunciat. Contra Geographiam etiam, præter alia plurima, peccant enormiter, quæ in descriptione Norvegiæ p. 70. Tom. II. affert: *Hæc regio*, ait, *est extreme frigida, inprimis illa, quæ est ultra polum Arcticum*; At Norvvegiæ ultimum promontorium viginti plus minus cis polum gradibus situm est, & constat cum summo periculo explorantium, plagam ulteriorem & polo vicinam esse inhabitabilem. Sed alia omnia excerpere & refutare majoris operæ, nec nostri est instituti. Notavimus hæc cavendi erroris causa, nullo, ut jam professi sumus, insectandi auctoris studio; scimus etiam facilem esse in materia diffusissima lapsum, & quantumcunque docti & laboriosi hominis vires ad scribenda talia vix sufficere, ut adeo tutissimum sit, unumquemque de rebus patriæ suæ, quas probe cognitas habet, aut de peregrinis ex diuturna experientia, vel probatissimis auctoribus, commentari.

DE MOTU ANIMALIUM J. A. BORELLI Neapolitani, Opus posthumum. Pars altera.

Romæ, 1681. in 4.

POstquam de externis Animalium motionibus, quas spontaneas communiter vocant, harumque viribus, seu de virtutis robore, quam natura in contrahendis musculis, ac superandis ipsis appensis resistentiis seu ponderibus adhibet, in *prima*, elapsi anni mense Novembri exhibita, parte Borellus egerat: in hac *altera* primo immediatas mirabilium horum effectuum causas, hinc motiones animalis internas, v. g. sanguinis circulationem, respirationem, urinæ secretionem &c. exponit, uno verbo

verbo, integram quasi œconomiam animalem, felici non minus successu, ac methodo plane mechanica atque probabili tradit.

Prius dum præstare satagit, cum contractio seu decurtatio actio musculi primaria sit, multis nihilominus modis fieri queat, inquirit, quinam horum possibiles & huic negotio congrui magis sint. Negat siquidem, musculum contrahi per simplicem ac talem fibrarum suarum tractionem, qua pondera a funibus sublevantur: negat, idem fieri a virtute quadam elastica ejus fibris propria: pariter, nec musculos tendi ac indurari putat, ob quietem suarum partium, nec per exsiccationem aut alterationem illi similem qualis pilis torrefactis contigit, nec per corrugationem fibrarum, ut in lumbricis apparet, verum non tam causa, quam effectus contractionis musculorum lumbrici internorum est. Tandem autem, postquam evicit, musculos non per condensationem longitudinis fibrarum & approximationem extremitatum ad invicem contrahi, concludit, illos indurescere ac tendi per inflationem a corpore superveniente, i. e. per incuneationem aliquam horum contractionem fieri.

Proin, rejectis causis contractionis musculorum immediatis, quæ ab aliis hactenus venditatæ, sc. facultate Galenicorum locomotiva incorporea, spiritibus animalibus aëreis, item sanguine aut succo quovis musculi porositates inflante, sive a cordis vi impelli, sive, perinde ac in contractione funis madidi, per aëris compressionem, aut proprio pondere immitti supponatur: veram hujus motus æthiologiam declaraturus duas causas socias ad eum requiri suspicatur, unam intrinsecam magis, alteram forinsecus supervenientem & a voluntate instillatam, quarum hæc priori superveniens simile quid fermentationi aut ebullitioni moveat, quod subitaneam illam musculorum inflationem contractoriam præstet.

Extrinsecus hoc superveniens succum cerebri spirituosum pronunciat, eumque per nervos cavos ac medullari substantia infarctos adduci, probabiliter satis edisserit: qui tamen sibi relictus cum ad inflationem illam efficiendam minus adæquatus foret, de alio quodam subjecto seu concausa, ex cujus cum succo nerveo contactu tale quid contingat, sollicitus est hic Scriptor, eamque lympham vel sanguinem pronunciat. Ita quidem, ut hi succi salini simili ratione, ac alia diversi generis salina concreta horumque fluores, per vices, a voluntate seu arbitrio

 deter-

determinatas, ebulliendo fibras musculorum divellant ac distentant, adeoque abbreviationis horum causa vera existant.

Quibus absolutis, simulque difficultatibus, quibus theoria hæc impugnari posset declinatis, Motiones animalis internas tam naturales, quam mixtas, explicandas aggreditur, & primo quidem Cordis & Sanguinis circulatorium motum. Sanguinem continuo motu per corpus ferri, licet in corde interruptus hic appareat, docet, mox subnectendo, qua ratione a corde inchoatus ad & per venas idem continuetur: illud quidem a fluidi moti gravitate, quæ augmentum ab impetu motus proprii pariter ac ab impulsu cordis suscipiat, sanguinemque eadem ratione mechanica, qua syphunculi, spongiæ, filtra, funes & cuncta porosa ab aqua contigua madefiant, ad venas capillares cogat; hoc vero a Venarum constrictione, quam vel harum fibræ, vel musculi & viscera ambientia, præstent, valvulis maxime istarum parietibus internis affixis sanguinem versus cor potius dirigentibus, ejusque regurgitationem ad partes impedientibus. Atque horum occasione a circulari hoc sanguinis motu crasin ejus vitalem conservari ostendit, simulque, qua necessitate natura tanta celeritate (i. e. paulo majori spacio, quam una vigesima parte horæ) totum sanguinis circuitum absolvere cogatur, diversis phænomenis animalibus exponit, ac denique, quare per easdem vias reiterari sæpius sanguinis cursus debuerit, scilicet ad flumen hujus vitale conservandum, illum defœcandum, chylum commiscendum, reliquasque œconomiæ animalis functiones perficiendas, deducit Auctor.

Pro cordis autem motu explicando membrum hoc cum aliis Neotericis musculum concipit, ex fibris maxime spiralibus coagmentatum, adeoque, non secus ac cæteros musculos, totam hujus substantiam, inflari, tendi ac indurescere: ita tamen, ut turgescentia hæc fibrarum a natura non ad tractionem & approximationem extremorum terminorum ordinetur, sed potius ut fibræ inflatæ & turgidæ cavitates ventriculorum arctent & instar præli sanginem in his contentum exprimant, i. e. cordis, instar glomi excavati fibræ tumescentes sinus illos repleant, figura cordis externa haud immutata, neutiquam vero, ut communis fert sententia, sua contractione illius parietes abbrevient ac illorum spatia constringant. Hinc usum & actionem auricularum & valvularum cordis declaraturus, & cum Anatomicis aliis Venæ Cavæ extremitatem

tatem totam musculosam observans, hoc in eum finem factum auguratur, quo illa sua restrictione sanguinem in obliquum auriculæ dextræ sinum propellat, adjuta, ut superius dictum, a totius sui tractus motu peristaltico & musculorum atque viscerum repetita compressione, quod idem Vena Pulmonalis ageret: usque dum utraque auricula vi suarum fibrarum *contractiva* arctata ostiis suis clausis regressum sanguinis ad venas *sufflaminent*, huncque ad ventriculos elutrient, qui sua plenitudine seu *mole* valvulas horum tricuspidales ac mitrales inflando ostia venarum *dictarum* exacte claudat, proin suæ resilitioni obicem injiciat, a cordis vero præli compressione ad arterias urgeatur.

De cætero in propositione 56 & insequentibus, præmissis nonnullis lemmatibus mechanicis, vim facultatis Cordis motivæ commensurare ac ponderare suscipit, & postquam virtutis musculorum reliquorum potentiam ex cognitione effectus seu ponderis ab eo suspensi in *parte prima* elicuerat, methodus nihilominus hæc cordi adaptari haud posset: ex similitudine potius & analogia, quam cor cum cæteris ejusdem animalis musculis habet, magnitudinem hujus effectus conjicit; i. e. existente cordis mole fere æquali unius v. g. temporalis & masseteris musculi, dum horum vim præsciremus, probabiliter satis cordis vim motivam *illi* æqualem asserere possemus, i. e tantam, quæ per se considerata, æque ac musculi illi maxillæ, majus pondus, quam 3000 librarum, suspendere posset: imo ulterius demonstrat, cor sua contractione majorem longe resistentiam superare, quam sit vis illa, quam ipsius cordis musculi fibræ exercent, seu potentiam musculi cordis minorem esse ejus momento, quod resistentiam totius arteriarum sanguinis & impedimentorum earundem dilationis ulterioris, adeoque vim ponderis 180000 *librarum*, transcendat.

Tandem in causas motum cordis efficientes dum inquirit, harum immediatam non differre ab ea, quæ musculos artuum movet, i.e. pariter hujus tensionem ab ebullitione succi nervorum spirituosi & sanguinis, hincque emergente inflatione, dependere, autumat Borellus: primam vero ac mediatam motionis cordis ab ea, quæ musculos artuum agitat, discrepare, quatenus musculus cordis sui juris videatur, & quodam sibi naturali instinctu moveatur, e contra ex musculis artuum illi & tunc saltem, quos & quando volumus, contrahantur. Et cum exin

concludendum veniat, non a voluntate & absque omni vellicatione succum nerveum cordi instillari & pulsationes hujus reciprocas effici, de organica quadam structura cogitandum fore, tali, quæ passim in operationibus naturalibus observetur, & adæquata videatur ad phænomena pulsationum cordis salvanda quam hanc suspicatur. Nimirum quemadmodum spongiæ, filtra aut fistulæ vitreæ angustiores, licet fluore quodam repletæ fuerint, hunc ex inferioribus suis orificiis non sensim, sed guttatim & interpositis morulis emittant, & quidem propter canaliculorum nimiam angustiam & liquoris aliqualem lentorem: Sic (quamvis non impossibile plane credat, motum cordis ab eadem facultate animali cognoscitiva, sed sine advertentia seu actu reflexo, ob consuetudinem habitu acquisitam fieri) succus spirituosus intra cerebrum semper equidem nervorum cordiacorum orificia madefaciat, per illorum tamen angustias, spongiosa medulla plenas, difficulter & per vices tantum defluat, momentaneas guttularum illarum ejectiones momentanei pulsus sequantur, propter succi vero spirituosi præsentiam & nervulorum angustias perpetuas & uniformes morulæ quietis æque temporaneæ, i. e. motibus æquales existant, donec succus ille vel fluxibilior aut acrior evadat, aut a causa quavis concitatius agitetur. Quoniam autem orificia & canales nervorum ad artus abeuntium aliter conformati sint, ut nisi motu quodam convulsivo concutiantur, a motione spirituum, qua actus imperii appetitus exercetur, succus spirituosus per illos ad musculos exprimi nequeat, inrerrupti & inæquales magis horum motus contingant.

Et hic quidem abrumpimus Lector Benevole. Nam copia solidæ abstrusæque doctrinæ, quam fusius exhiberi, cum liber adhuc in paucorum manibus versetur, publici interesse putamus, quæ supersunt plurimi momenti cætera in mensem proximum rejicere nos cogit.

LES DISCOURS DE CHIRURGIE, POUR l'explication des nouvelles Machines pour les Os & pour la Verole, ou maladie venerienne, lors qu'elle y fait des Nodus & Exostoses & des Anchyloses aux jointures, Avec l'art de la guerir methodiquement par la seule application du Mercure. Par I. Michault.

A Paris, 1682, in 8.

i. e.

Discursus Chirurgici, explicantes novas machinas, inservientes reductioni ossium luxatorum & fractorum, ac Lui Venereæ; si in illorum juncturis nodos, exostoses & anchyloses produxerit, cum arte hanc methodice per solum Mercurii usum curandi, &c.

PRimarius equidem Scriptoris hujus scopus videtur, ut naturam, differentias, causas ac therapeiam Luis venereæ exponat, hancque posteriorem a solo Mercurio expectandam esse, edoceat, decocta vero lignorum (alias in hoc affectu frequentioris usus ac felicissimi successus) rejiciat ac detestetur, eo quod calefaciendo & exsiccando acrimoniam Salis Venerei augeant, adstringendo evacuationes cohibeant, doloresque partium, morbo huic solennes, potius intendant, quam levent. Antequam nihilominus argumentum hoc tractandum suscipit, in Cap. I nonnulla circa machinam quandam, ossibus luxatis & fractis reponendis maxime appropriatam, quam cunctis reliquis, hactenus Chirurgorum officinis familiaribus, anteponendam putat, præfatur, hancque & ejus explicandi rationem Iconismo *Tab. I* exprimit. TAB. I.

Sc. quatuor figuræ 1, 2, 3, 4, Instrumentum hoc quatuor exhibent modis, ut 1 illud integrum & restituendo humero luxato accommodatum denotet: 2 ut actu reponendo eidem humero applicatum: 3 prout fracturis ministrat: 4 ut complicatum, quo de loco ad locum commode transportari queat. Litera A Totum machinæ corpus indicat, B hujus in medio incisuram, C ferramentum ad formam circini vietorii inversi paratum, ac trochleam, ex ligno solidiore factam, longiorem & brachii crassitiem æquantem, in medio sui gerens, D annulos duos exiles, quibus membrum inter operandum machinæ alligatur; E, F, G, hujus pedem, H Chirurgum operantem, & I ejus ministrum, qui solitarius hujus instrumenti tractationi sufficit, dum reliqua veterum machinamenta pluribus ministris opus habeat; K duas trochleas tractorias, quibus extensio & contraextensio simul atque æqualiter peraguntur, quale quid in Medicina nondum visum Autor ait.

Ast quia nostris Chirurgis jamdum a pluribus annis similis & forsan latioris seu amplioris usus innotuit machina, explicato hactenus

nus Iconismo *Tabulam II* jungere voluimus, Chirurgo prudentiori, utra ex his duabus majoris æstimanda veniat, judicandum concedentes.

TAB. II. *Fig. 1.* Machinam sistit integram, ex ferramentis tribus longis & parallelepipedis A, B, C, ac scuto D, pro extendendo humero parato, corio molliore obducto & zonulis duabus instructo, coagmentatam.

Fig. 2. Idem instrumentum in suas partes A, B, C, D, resolutum, quibus accedit ferramentum E, femori extendendo dicatum, corio exterius pariter obvelatum, interius autem cochleam (*a*) quemadmodum scutum D foramen (*b*) pro excipienda habenula, seu clavo trochleari, (*c*) habens.

Fig. 3. Trochleam tractoriam, inversa sua parte conspiciendam, quo uncus ejus prominens (*d*) appareat, furcula (*e*) ferramenti A excipiendus & per clavum (*f*) firmandus.

Fig. 4. Zonam cum laqueo, membro extendendo injiciendam.

Fig. 5. Machinam integram luxato humero applicatam.

Modus autem operandi hic est. Si humerus reponendus fuerit, ferramento C affigitur scutum D alæ supponendum & Zonis suis thoraci alligandum: quod si vero femur luxatum, eidem C adaptatur ferramentum E, convexitate sua perinæo ægri applicandum. Hinc Zona *Fig. 4* membro læso, & illius laqueus uncis machinæ tractoriæ injicitur. Quo facto Chirurgus partem luxatam supra Zonam dictam manibus suis firmiter complectitur, Minister autem trochleam *Fig. 3* eousque vertit seu circumagit, donec istam sufficienter extensam deprehendat Chirurgus, qui ministro ab extensione sensim remittente, eam versus acetabulum suum dirigit adeoque reponit.

JOH. HELFR. JUNGKEN M. L. MEDICUS præsenti seculo accommodandus &c.

Francof. 1682. in 8.

SOlertem atque ingenuum maxime Rerum Chymicarum ac Medicarum Propagatorem pronunciare haud veremur hunc Sctiptorem, utpote qui, quæ in *Chymia sua Experimentali*, cujus tenorem ultimus elapsi anni recensebat mensis, tradiderat, præcepta Chymica & Medica, quo veros

TAB. II. ad A. 1683.
pag. 38.

Fig. 1




fig. 2.






fig. 5.



fig. 4.






fig. 3.



E. Andre-Sohn sc.



veros generaret & aleret Hippocratis filios, nunc, paucis saltem, iisque vix sensibiliter immutatis, repetiit, quædam ibi dictorum transponendo, contrahendo, prolixius explicando, ac negligendo, quorum tamen loco alia ibi omissa subnexuit, v. g. Camphoræ, Scammonii & fuliginis anatomen, item sectionem satis amplam de puerorum affectibus, horumque cura.

CAUSA SPIRITUS SANCTI VICTRIX, demonstrata a Christophoro VVittichio.

Lugduni Batavorum, 1682. in 8.

ANni jam quatuor elapsi sunt, quod novus Arianorum promachus, Christophorus Sandius Coloniæ (ut libelli titulus habet,) *Problema paradoxum de Spiritu Sancto* typis exscribi publicis curavit. In quo, ut Spiritus S. ὑπόστασιν & subsistentiam, contra Sabellianorum, Samosatenianorum & Photinianorum sententiam adstruere videretur, non quidem per eum cum *Bidello* unam personam Angelicam, sed *genus Sanctorum Angelorum*, vel *collectionem Spirituum S.* intelligi posse existimat. Hanc novam ac portentosam opinionem, a Sandio ad examinandum orbi eruditorum propositam, *Christophorus Wittichius, Theologus ac Professor Lugdunensis* celeberrimus discutere sustinuit, edito Lugduni Batavorum anno 1678 tractatu, cui titulus: *Caussa Spiritus Sancti Personæ divinæ, ejusdem cum Patre & Filio essentiæ, contra C. C. S. Problema paradoxum asserta vel defensa.* Ad hunc libellum, primum socius quidam Sandii, qui sub literis A. A. (ut ille sub C. C. S.) latere voluit, Epistola quadam ad Christophorum Gittichium (ita enim scriptum pro *Wittichio*) exarata, respondit: Deinde a C. C. S. responsum MStum & quidem prolixum ad Wittichium, ut ipse memorat, transmissum fuit. In quibus quidem ambo antagonistæ priorem sententiam dereliquerant; sed ne tacuisse censerentur victi, novas exceptiones attulere, queis *Spiritum Sanctum plures Angelos principes esse*, v. gr. Septem illos de quibus Apocal. I, 4 agitur, probare ausi sunt. Has *Autor Cl.* heic diluit, existimans, non posse dictum problema melius confutari, quam si contendatur, *Spiritum Sanctum in illis locis, in quibus*

bus ut persona distincta a Patre & a Filio introducitur, describi ut Deum Summum ejusdem cum Patre & Filio essentiæ. Itaque loca illa V. & N. T. a Sandio & Socio suo propter hanc causam in alienum sensum detorta, vindicat ac a detorsione perversa liberat. Et quoniam hac occasione varia disseruerat Sandius; Wittichius quoque *primo*, quid sit ratio & quomodo illa sese habeat in Adami posteris; *secundo*, quid censendum de revelatione, quidque ea, prout in Scripturis continetur, valeat; *tertio*, quomodo ratio ad revelationem se habeat exponit, non dissimulans, se cum Vedelio in Rationali Theologico, circa usum rationis in rebus Theologicis facere.

CHRISTOPHORI VVITTICHII CONSENsus Veritatis in Scriptura divina & infallibili Revelatæ cum veritate Philosophica a Renato des Cartes detecta, cujus occasione Lib. II & III Principiorum Philosophiæ dicti des-Cartes maximam partem illustrantur: cum Indice. Editio secunda a multis mendis emaculata & non parum aucta.

Lugduni Batavorum, 1682. in 4.

Auctor ante tres & viginti annos primum edidit hunc Consensum Veritatis adversus illos Cartesianæ Philosophiæ hostes, qui dissensum inter hanc & Theologiam dari statuunt; quos inter tum eminebant Lentulus & Revius. Hinc methodus Autoris; qua per 50 capita partim generalia de philosophandi ratione ex Sacra Scriptura, partim specialia, de motu telluris &c. elenchtice pertractat, & ita quidem, ut Christianismum & Cartesianismum nullibi adversa fronte concurrere arbitretur. In hac vero secunda editione non tantum sphalmata quæ in prima typographus commiserat, delevit; sed &, ne sine novo ornatu prodiret, nonnulla, quæ ad uberiorem intellectum veritatum demonstratarum facere viderentur, variis in locis adjunxit; ceu notat in præfat. ad Lectorem.

)o(